CAROLI SCRIBANI

E SOCIETATE IESV

ANTVERPIA.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Ioannem Moretum.

M. DC. X.

Superiorum permissu.

Digitized by Google

Digitized by Google

SENATVI
POPVLOQ.
ANTVERPIENSI.

DIOGENIS vox est, *ferarum indomitarum morsum habere nocentissimum, detractorem; mansuetarum, adulatorem.* neutram imitabor. Laudabo tamen, nec sine magnorum exemplo. Et quis Virtuti laudem aut detrahat, aut non adnectat, quam meretur? Primum liuoris cuiusdam est, aut ægrientis animi. ita & solem ægra lumina reformidant. Alterum, quis sperabit se posse? nam cùm Virtutis immensa sint spatia, eadem laudis erunt: indiuiduo enim inter se hæc nexu iuncta. Oratio au-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tem omnis, quacumque eam purpurâ veſtias, quibuſcumque inocules luminibus, certis definitíſque circumſcripta ſit terminis, fit, vt nulla Virtutem, aut huius gloriam aſſequatur. Et tamen cùm mihi propoſuerim non omnino ſilere, infantiam potiùs teſtabor, imbellémque conatum, quàm vt ſilentio ingratitudinis labem confitear. Ergo obſequar, non modò propenſæ huic voluntati in vos meæ; ſed & beneuolentiæ in me veſtræ: quam vellem, vel tenui hoc affectus ſymbolo, orbi teſtatam.

In omni verò hoc latiſſimo, & quæ quantoſuis oculos fallant, laudum veſtrarũ campo, non attingam aliena. quid ſtultius? Vt enim nemo gloriari niſi ſuo debet, ita nec laudari. Vitem laudamus, ſi fructu palmites onerat; arborem, ſi pondere eorum quæ tulit, adminicula ad ter-

ram

Digitized by Google

ram deducit : non cui denſi palmites , &
prole ſuâ nudi, retorti byſſo;nec cui folia,
ſobole ſuâ vidua, purpurâ veſtita.propria
virtus in vite , in arbore , fecundi germi-
nis diues facilíſque partus . In homine
quoque id laudandum , quod ipſius eſt.
Ciuitatem cultam, laquearia aurea, paui-
menta variegata, quis in homine lauda-
uerit ? non magis quàm arbuſta in illo
frugifera, ſegetes canas, temulentam vin-
demiam , quam aut imber corrumpat,
aut grando cædat, aut emedullet tabes.
& vt non careant laude ſuâ, quid tamen
horum in homine eſt? Animus proinde
benè cultus, virtute excultus, rectus , ca-
ſtus,magnus,qui fortunam toto tulit cor-
pore , nec proiecit victoriam proiectus;
qui quoties cecidit , toties ſurrexit ma-
ior , doctus de genu pugnare , mixtis
cruore puluereque dentibus , & antè ſe-

Digitized by Google

ipſum ponere in medio morſu quàm ſtationem deſerere; denique cui aſſiduæ cum incommodis ſuis rixæ, callum induxerũt; hic eſt quem iure laudes, & in quo mireris *Deum in humano corpore hoſpitantem.*

Quem, non dico, dum laudo; ſed rudi calamo, rudi tabulâ, manu rudi, Vobis, Belgis meis omnibus, Orbíque ipſi propono, non exſpectate ornatum; nudum dabo: quale decus ſolet eſſe virorum. vt exclament etiam ab aduerſario puluere:

Effulſere artus, membrorumq; omnis aperta eſt
Lætitia, inſigneſq; humeri, nec pectora nudis
Deteriora genis. latuitq; in corpore vultus.

Procul ergo chlamys, multicolor procul byſſus. nolo his confutare obtutum; ac decorâ quadam multiplicis pallæ conflu-ctuatione admirationem excitare. quid enim facerem aliud, quàm vt vili lacernâ tegerem

Sidereos artus, radiatáque lumina cælo?

Nu-

Digitized by Google

Nudum ergo ingens membrorum, oris, frontísque oſtentabo decus : animum nudum, nullo aſcititio colore, ſed ſuo magnum; nullo mutuatitio candore, ſed ſolari ſuo lucidum; nullo mentito roſeo rubore, ſed adnatâ purpurâ ſuâ flammeum. Atque hunc, quocumque oculos circumtuleris, magnum,

VOBIS

ET

REIP. VESTRÆ

MAGNÆ

SACRO DICO Q.

Carolus Scribanius.

INDEX

Digitized by Google

INDEX TITVLORVM.

1.	*Educatio.*	pag. 2
2.	*Cibus, somnus, vigiliæ, corporis cura.*	4
3.	*Exercitatio varia.*	7
4.	*Cæli mutatio, linguarum cognitio.*	9
5.	*Vestitus, morum grauitas, corporis compositio.*	11
6.	*Nobilitas.*	14
7.	*Opes, & in iis animi.*	17
8.	*Mercium orbe toto aduectarum varietas.*	22
9.	*Pecuniaria negotiatio.*	26
10.	*Orbis delitiæ, & in earũ vsu moderatio. Nauium frequẽtia.*	29
11.	*Artes Mechanicæ.*	30
12.	*Ars Pictoria.*	31
13.	*Sculptoria, Cælatoria, Inciſoria ars.*	40
14.	*Ars Typographica.*	43
15.	*Ars Architectonica.*	45
16.	*Aquæductus, Anthleæ, machina Cteſibica.*	56
17.	*Ingenium, Iudicium.*	60
18.	*Eruditio, litterarum amor.*	69
19.	*Temperantia, in cibo, in potu.*	74
20.	*Caſtitas.*	79
21.	*Liberalitas.*	83
22.	*Sermo. Fides in verbis.*	96
23.	*Animi robur.*	97
24.	*Refellitur criminatio de occupatâ ab Iberis vrbe.*	104
25.	*Militare robur.*	113
26.	*Hæreſeos nota deterſa.*	118
27.	*Pietas, & in Deum cultus.*	131

Digitized by Google

CAROLI SCRIBANI
SOCIETATIS IESV
ANTVERPIA.

ANTVERPIAM dabo. Faue DEI MATER, æternæ huic Vrbi Diua Tutelaris. Faue,

O decus, ô famæ meritò pars maxima nostræ,

Da facilem cursum, atque audacibus annue cœptis;
Te namque *sine nil altum mens inchoat.*

Sed & tibi honoriq́; tuo, ingens hoc laudũ pelagus

Ingredior, sanctos ausus recludere fontes.

Neque hîc ego vos

——per ambages & longa exorsa tenebo.

rem dabo. Nemo proinde diuidua fluenta, quæ mœnibus circumfusa præsidium, infusa præbent commercium; nemo marmora, aut variarum rupium crustas, nemo per Æthiopicos scopulos, saxa furfurem mentientia, purpureo fucata speret conchylio: nemo crispis torosisque erroribus maria ludentia; nemo Druonem Antigonum, Brabonem, Ambiuaritos, aut Aduaticum Cymbricum genus, exspectet. Antuerpiam dabo,

Et magnos membrorũ artus, magna ossa, lacertosq́;.

A reli-

Digitized by Google

reliqua nec attingam.non ſoli cęliqúe, ſeu altricis ſeu nutricis terræ, delicias. quas ſi velim, non neceſſum habeam amplificandæ rei concinnare mendacium. neque enim quantumuis ſterili & emarcido calamo,deeſſe materies in tam fecundâ poſſit areâ. In quâ ſi hoc vnum dixero, Antuerpiam vnam eſſe, quæ viſa ſemel, Patriæ pleriſque obliuionem perſuadeat,an nõ omnia dixero? Hanc talem, omni baltheo, veſtitu omni ſpoliatam, nudam dabo. atque adeò à faſciis dabo, ne ætatem vllam tranſiſſe videar intactam.

Educatio.

EXulat iam inde ab infantiâ ignauum otium, rerum publicarum peſtis, vitiorum mater: quam potiſſimùm negotio diſcuti, experientiâ diſcimus: numquam enim vacat laſciuire diſtrictis: cùm contrà, in mille facinorum furias mens otioſa diſcurrat: vt benè Demetrius, *vitam otioſam mortuum mare*, dixerit: ſed infidum, & quod ſuperficie blandiatur, placidumque ludat: ſin remigio prouoces,omni ferâ immanius eſt.Hanc humani generis efferatam belluam vt effugiant, operibus ac laboribus à primâ iuuentâ intenti ſunt omnes;turpe,diem ſinè lucro tranſiſſe.Ita fit vt corpus animumq; à teneris, puellæ iuxtà puerique, indurent; parentque à primâ ætate ad fortuita.Idem videmus in arboribus:non ſunt ſolidę,

quas

Digitized by Google

quas frequens non incurſat ventus: ipsâ nimirum vexatione conſtringuntur, certiuſque radices figunt. In corpore & animo idem reperies. corporis illa pars ſolidiſſima eſt, quam frequens vſus ab infantiâ exercuit, & incurrentibus parem reddidit: & animus non ille validiſſimus, qui ab ipsâ natiuitatis ianuâ, callum quaſi per incommoda ſua traxit? Aſſiduo hoc ſtudio ac labore aſſequimur. ac primò voluntas bona firmaque, inde mens exurgit voluntati par. Hoc ſtudium nuſquam hîc deeſt, nuſquam labor. Hinc illud euenit, vt ad quemcumque caſum adacti, de ſuo viuant; apud ſe habeãt, quo honeſtè vitam tueantur. Neque hoc, qui è plebe tantùm, ſed qui è principibus vrbis, idque ab ipsâ infantiâ: adeò vt vix puellam reperias annos natam decem, pleraſque etiam infra hanc ætatem, quæ non in dies ſingulos aliquid ſeponat è lucro; vt gloriari cum maximis Philoſophis poſſint, nullam illis diem abiiſſe ſine lineâ, nulloque non ſe die vixiſſe. Vixit cui nulla dies otio conſumpta. nam illos, quos ignaua quies aliis laborantibus molliter ſemper habuit, quis arbitretur viuere? niſi aut conchæ aut turdi vitâ, quos videmus in contumeliam viuere: quibúſque viuere ſatis eſt, etiam in caueâ cum illo Rhodio, viuant modò: etiam ex voto diſcinctiſſimi Mæcenatis:

Debilem facito manu,

Debilem pede, coxâ,
Tuber astrue gibberum,
Lubricos quate dentes.
Vita dum supereſt, benè eſt.
Hanc mihi, vel acutam,
Si das, ſuſtineo crucem.

Inueniuntur tales, qui malint inter ſupplicia tabeſcere, & perire membratim, & toties per ſtillicidia amittere animam, quàm ſemel exhalare! Non veniunt hæc vota, niſi ab ignauâ iuuentute, inter deliciarum probra, inter otij ſegnitiem, à primâ ætate, habita.

Cibus, ſomnus, vigiliæ, corporis curæ.

CIbus in illâ ætate, ac in maturam adultamque adoleſcentiam, plurimùm ſine mensâ; ſomnus breuior, longæ vigiliæ. ita non diem modò, ſed & bonam noctis partem, è negotiatione labor ſibi vendicat. corporis proinde cura poſtrema. Et verò honeſtum illi vile eſt, cui corpus nimis carum eſt. Adde, illud è ſuperuacuâ curâ molleſcere, numquam indurari; diffluere, numquam firmari. Aliquid tamen indulgendum corpori, non nego: ſeruiendum illi nego. Quantis enim ſeruit, qui illi ſeruit? & quo modo liber eſt, qui illi ſeruit, moroſo, duroque illius imperio? quantis timoribus inquietatur, ſollicitudinibus oneratur, obiicitur contumeliis? Quamquam, ſi pro-

propiùs rem ſpectemus, ſi ad naturæ legem illud reduxerimus, minimo dimittatur. Da illi quod famem explet, quod ſitim ſedat, quod frigus arcet: hæc enim, ſi ambitionem tollis, ad manum ſunt, paruo conſtant. Tam vili lacernâ, quàm byſſo, frigus excluſeris. Et non pane & aquâ ventrem expleueris? aut quid intereſt, ab his an à vino & oſtreis latrinæ onerentur? niſi quòd magis ab his puteant. Felix menſa, quæ non irritat famem; quæ nullos ſaturos ad edendum cogit; quæ maiorem poculis ſitim non facit; ſed naturali & gratuito remedio famem ſitimq; ſedat. Alioqui ſi ad cupiditatis dictamen viuendum eſt, quis modus erit rebus? immenſa eſt. quanto plus dederis, plus expetet. ac niſi frenum inieceris, antè ruperis, quàm expleueris. Doce illam nihil petere, niſi quod ex ratione eſt, niſi quod bonum eſt. Bonum autem in corpore, aut in palato, quis ſtatuet? quod qui fecerit, plurima neceſſum bona detrahat Deo. neque enim in illo, aut veſtium ſplendor, aut epularum lautitia, aut gemmarum & auri lenocinium: neque quidquam ex hominem inescantibus, & vili voluptate trahentibus. At quis credat expertem boni alicuius Deum? bonum proinde nullum erit, in quo ab homine Deus vincitur; aut quod huic deeſt: cuius ea ſola ſunt bona, quæ ſolida, quæ ſempiterna, quæ nihil pœnitendum adferunt. cetera opinione bona ſunt, & nu-

dum nomen cum veris commune habent, re-
bus inania.

Veniamus ad ſomnum, cui dandum aliquid non nego: ſed ita, vt ſuccumbas illi, non vaces; vt oculos è vigiliâ labantes, cadenteſque, in opere detineas: denique vt cùm aliquando dormiſſe te ſcias, aliquando non niſi ſuſpiceris. tantum namque vitæ detrahis, quantum ſomno indulges. Quæ hæc proinde dementia eſt, vitam cum ſomno diuidere; & de tam anguſtâ re, tam rapidâ, tam volaticâ, tam nos curſim auferente, tantum detrahere? deque hoc æternitatis quodam ſtillicidio, ac ne ſtillicidio quidem, tantum decerpere? Dandum tamen aliquid ſomno: ſed vt ſeuero importunóque creditori, quantum potes, minimum. Nam quæ hæc quorumdam inſania eſt, non noctem tantùm totam, quamuis longiſſimam, ſed & diei partem optimam ſomno dicare? Non iſtos oculos tenebrarũ, vitam mortis cauſsâ accepiſſe credes, çùm vitæ partem maximam in noctem transferant? non auibus ſimiles, quæ menſis parantur, quæ in obſcuro continentur, vt iners ſagina ſuccreſcat dominum beatura? Neque minor fatuitas illorum, qui alium ſibi diem, aliam à naturâ noctem faciunt: qui ad faces & cereos viuunt: qui tædas (mortuis credas parentare) ſolem ſibi ſtatuunt. Nimirum ſordida res eſt, vulgari viâ viuere, facereque quod facit popu-

populus: quare publicus dies relinquendus, deligendus proprius, ordóque rerum mutandus; tamquam aut natura, aut naturæ conditor Deus, à ratione aberrauerit.

Exercitatio varia.

RAros reperies in adoleſcentiâ in vno genere ſtetiſſe. multa diſcere, multa ſcire, ac in omnem partem corpus animumque parare, hæc patrum cura. Hinc fit, vt omnium propè rerum cognitionem ſinguli aſſequantur: paratoſque ad omnes omnium negotiationes reperias; vt addubites, cui potiſſimùm ſeſe addixerint. Quid non conſequitur pertinax cura, & intentus in omnem rem animus? Eadem reperies, ne decedam à ſemel ſuſceptâ ſimilitudine, in arboribus: reuocabis in rectum, explicabiſque quantumuis flexas; fingeſque aliter natas, in quam propè figuram voles. quanto faciliùs animum, omni arbore obſequentiorem? Malè proinde de naturâ, de Deo querimur, quaſi negata ad Virtutem nobis via, negata ſemina: ſinguli ſingula circumferimus congenita, diuite Dei dono. Altiùs tamen, fateor, quædam in his defoſſa; ac non niſi aſſiduâ curâ & labore, vt vel in herbam exeant, educenda. in aliis arbitreris terræ ſuæ innatare, ita de facili reſpondent,

——*nec longum tempus, & ingens*

Exiit

Exiit ad cælum ramis felicibus arbos.

In omnibus tamen ſemina,& magnarum ſemina rerum,quæ excreſcant in ingentes cælo vertices: ſeriùs hæc licet,citiùs illa,excreſcunt tamen,ſi accedat labor; nec rarò in parem altitudinem. diſcrimen plurimùm non ex imparilitate ſeminis, ſed materiæ cui immiſſum. Idem namque hîc cogita quod in ædificiis, per omnia paribus; ſed quorum vnum dura accepit area, alterum mollis & fluida humus:illic protinus opus creuit, in hoc multum laboris exhauſtum dum peruenitur ad ſolidum. Ita in hominibus ingenia, & ingenita virtutum ſemina, in quibuſdã facilia & expedita; in aliis diu multúmque ſudandum. Illa feliciora dixerim, quæ parum negotij ſecum habent, &

Sponte ſuâ quæ ſe tollunt in luminis oras:

hæc magis de ſe merita, quæ malignitatem materiæ ſuæ vicerunt pertinaci conatu; quibus meritò inclames,

——Validis terram proſcinde iuuencis.

Illa aduerſarium nullum ſortita: hæc

Procuruam exſpectant falcem, raſtroſq; tenaces;

per perpetua namque obſtantia erexerunt ſe ad magna. Illa

—— nullis hominum cogentibus, ipsâ
Sponte ſuâ veniunt.

de his credas illud dictum;

Terq; quaterq; ſolum ſcindendum, glebaq; verſis

Æter-

Æternùm frangenda bidentibus:

ita per ardua, via illis facienda; ac non rarò ope etiam alienâ. nihil facturi ſine duce & ductrice manu: quæ vbi acceſſerit, aſſiduo labore,

——cultuq́, frequenti
In quaſcumque voces artes, haud tarda ſequentur.

Quin & imperio quædam

Cogenda in rectum, ac multâ mercede domanda.

arbitreris cuneis viam faciendam, immittendaq́; feracia alibi nata ſemina: vt etiam quicumque duro hoc imperio, enatam domi ſuæ videat ſobolem, obſtupeat

Mireturq́, nouas frondes, & non ſua poma.

Omnes hi tamen laudem promeriti: quamquam maior illi videatur concedenda, qui in difficiliori materiâ, paria reliquis excitauit. de quo olim, in non impari re, ceciniſſe puta Vatem;

——Qui quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in tartara tendit:
—— non hiemes illum, non flabra, neque imbres
Conuellunt, manet immotus, multóſque per annos
Multa virûm voluens durando ſæcula vincit.

Cæli mutatio, linguarum cognitio.

NEc vno cælo, vt nec ſermone vno contenti, orbem plerique inambulant; omniúmque propè gentium ore loquuntur. ea ingenitę naturę benignitas eſt, vt in vno ore multos audias. Ac

licet congreſſus ſapientum, non montes aut maria prudentiam doceant: in variâ tamen gente ſemper repéries, quod admireris, quod imiteris; maximéque in hoc negotioſo vitæ genere, in quo cum omnium propè regnorum ciuibus, crebra commercia. Vnde fit, vt niſi mores, ingenium, & quâ ſinguli in rebus fide, quâ perfidiâ; quâ curâ, vigili, an ignauâ; quâ dexteritate, aut ſtupore verſentur cognoueris, diſcrimen plerumque incuras fortunarum omnium. Noſſe verò gentis cuiuſque inſtituta, leges, mores, hiſtoriâ indice, aut alieno ore, frigidum & inane eſt. plus enim hauries vnius menſis contubernio, quàm annuâ lectione, auditione. Scio non deeſſe qui inclament, Quid intereſt, Apenninum noueris, Graiúmve montem, Pyrenæos ſaltus, Alpium iuga, Candauiæ deſerta, Syrtes, Scyllas, Charybdes; an ignores? quid vtraque Iberia, Gallia, Latium, Germania peragrata dabunt, ſi non vt è ſingulis vitia ſua referas, reportes peſſima? Cur non virtutes & optima quæque? Multũ in hac re inſtitutio valet, & præmonita patrum; quibus non tamquam cerâ, leue hoc, ſed tamquam firmiſſimo ſpiſſamento, obturentur ad has morum Sirenas aures: multum etiam negotiis obrui, ac quaſi integi, vt tempus, adeoq́; terra deſit maligno ſemini: quin & multum ſocij; quibus ferè optimis quibuſque, & ad lenocinia obduratis, liberos parentes com-

committunt, ad quos mores ſuos exigant, quos vereantur.

Exurgent hîc fortè aliqui, qui paruo contenti, oderint laborioſas has diuitias, quæ plus ſudoris quàm opum circumferant; aliquid etiam fors ſanguinis & valetudinis detrahant bonæ: obiiciantque illud Flori; Nolumus veſtro more

Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

quibus ego, omnium nomine, repono illud Cæſaris: Nec nos volumus

Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas.

Quanto enim tutius prudentiúſque, animum corpúſque fatigare, quàm pingui otio ſaginare? vt ſi quid euenerit grauius, non expalleſcas, cùm omnium pænè gentium moribus ac conſuetudine, nec meditatione aut lectione nudâ, didiceris, nihil in hac vitâ ſperari poſſe æternũ, nihil æquabile; non magis quàm perpetuam, inter flatus fluctuſque, maris malaciam.

Veſtitus, morum grauitas, corporis compoſitio.

IN omni corporis habitudine digna elucet viro grauitas: hinc nihil in voce, alloquio, oculorum aut lateris iactatione quod leuitatem ſapiat. Teſtudinem cogita, fidium concentu nobilem: ita ad artem omnes, & ad regulam compoſiti.

ſiti. Certant cum viris nuptæ, ac propè maieſtate vincunt;certãt virgines. Magna vbique maieſtas oculorum, inceſſus, oris, veſtium: in quibus nihil,quod libidinis negotium curet. nulla hîc purpura multo ſaturata conchylio,intexta auro, coloribus diſtincta; aut ſanè nõ niſi perquàm rara. Plurimùm pullâ veſte gaudent: & reſpondet innatæ morum grauitati & modeſtiæ: veſtitus enim pudoris prænuntius eſt: nam mores ferè habitus prænuntiat. grauitatem ergo hic, & quamdam maturitatem ſapit. nihil leue, nihil quod matronalem, nihil quod virginalem pudicitiam dedeceat.

Video in Regnis Prouinciiſque variis, quaſdam tot capillaturæ ſtructrices adhibere, quot viri inſederint animis: quaſdam perpetuis gemmis auroque non tam veſtiri, quàm integi; frontes de dracone, aures de conchâ, brachia de luminibus lapillorum arctare: video ſaltus & ingentia prædia de tenerâ pendere ceruice; ac ſingulos propè digitos Kalendarium expendere. Hinc illa virorum naufragia. neque enim de integrâ conſcientiâ venit hoc ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorium libidinis eſſe ſcimus. Ab artifice diabolo veniunt hæc irritamenta,quæ de proximo curant luxuriæ mercimonia, & obſtrepunt pudicitiæ diſciplinis. Quid enim hæc faciunt aliud, quàm

vt cultus ſocietate formam proſtituant; ac de longinquo etiam trahant in noxias flammas, draconis exemplo, qui de longinquo ſpiritu abſorbet alites?

Sed & quaſdam, in quibuſdam Prouinciis, non dicam veſtiri, ſed vix ſexum tegere; ita nullum illis à veſte auxilium, vix pudori eſt: alias etiam nullâ iam veſte pectus oſtentare nudum, quo & ſtuporem quemdam inædificẽt viris, & inaccendant frigus, ſcandaláque vſque ad cælum iaculentur. Olim matres cùm pectoralem faſciam ſoluerent proli, ſecretum captabant: nunc etiam virgines totũ propè pudorem in oculis omnium circumferunt; quid niſi vt proſtituant omnibus? Hæc alibi: aliud hîc video. Omnium habitus ſeueritatem redolet, & pudicitiam teſtatur, vt reliqua taceam. Quòd ſi quæ ſtructiùs procedant, vel natalium, vel dignitatum, vel diuitiarum cauſsâ; ita temperant, vt prætextu neceſſitatis, nihil laſciuiam ſapiat, ne virorum quemquam petulantiâ ſuâ vulnerent. magiſque quo propiùs intueberis, videbis tales, ſerico probitatis, pudicitiæ byſſo, quàm voluptatis indutas. Vultus verò in pleriſque omnibus tranquillus & placidus; frons pura, nullâ aut mœroris ſuperuacui, aut effuſioris motus rugoſitate contractior: oculi in lætum æquè ac ſeueritatem remiſſi: os modeſtiâ & tranquillitate ſignatum: verba aperta & recta, &

quæ ferè pectus prodant, ab omni arte alienum. Deniq; tota habitudo ſeueritatem potiùs, quàm alium minùs compoſitum præfert affectum. Nihil hîc leue, nihil quod raritate & peregrinitate ſuâ alliciat: ſed maturo quodam ingenitæ grauitatis pondere caſtimoniam ſingula ſpirant, vt vidiſſe ad honeſtatem ſatis ſit. Quòd ſi quis arſerit hoc igne, ſolo earum aſpectu, tamquam flumine, reſtinguitur incendium. Hoc audeo: nihil me vel in moribus vidiſſe maturius, vel in oculis caſtius, vel in vultu modeſtius, vel in ore tenerius, vel in inceſſu temperantius, vel in colloquio circumſpectius, vel in totius corporis conſtitutione magis ad regulam. Nulla autem inter has otioſa; otium fauilla libidinis. nulla hîc vinoſa; vinum laſciuiæ fomes. nulla frequens in contuberniis; per hæc irrepunt verba pudoris inimica. *Bonos corrumpunt mores congreſſus mali.*

Nobilitas.

NObilitatem nullam prædicabo. *Socraticam* ſanè nemo excludet: animi nimirum & corporis bonam temperiem. Benè Democritus, rogatus in quo conſiſteret nobilitas: Pecudum, aiebat, in valido corporis habitu; hominum, in bonitate morum. Mens ergo bona nobilem facit. At hæc patet omnibus; & ad eam nobiles ſunt omnes. poteſtque ex casâ vir magnus exire,

poteſt

poteſt ab aratro, à ſutrinâ, ab argillâ: Hoſtilius, Tarquinius Priſcus, Seruius Tullius, Fabricius, Curius, Iphicrates, Agathocles, & tot orbe toto magna nomina, à quo originis ſuæ primogenia duxerunt? Poteſt ex tenui humiliqúe corpuſculo auguſtus & magnus animus prodire: Seraphicus Franciſcus in exemplar editus, vt ſciremus non vilitate corporis animum fœdari, ſed huius pulchritudine corpus ornari. Poteſt & è plebe magnus Imperator exurgere: Decij mihi teſtes, Marius, Rupilius, Ventidius, plebeiæ animæ. Patritius Socrates non fuit; Cleanthes rigando hortulo locauit manus; Platonem non accepit Philoſophia nobilem, ſed fecit: vt non imprudenti voto ecciniſſe videatur Vates:

——*Quis tam*
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?
Malo pater tibi ſit Therſites, dum modò tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniáq; arma capeſſas;
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Ac ſi originem ſpectes, ac longam maiorum ſeriem; à primo mundi, vſque in hoc tempus, produxit nos ex ſplendidis ſordidiſque alternata ſeries. nec quiſquam eſt, qui vltra Adamum deducat genus: nec nobiliorem hoc, nec retroſiorem deſignabis. Quòd ſi pergis obſtinare, & vltra hunc genus referre; nemo iam non inde erit, ante quod nihil eſt. Corpus verò idem eſt, nec aliter

aliter filium effudit Regia mater, quàm pauperis tugurî. Cònſidera huius ſingula; ſanguinem,carnem, oſſa, muſculos, neruorum nexus, venarum diſcurſus, & ipſos medullarum in abdito theſauros: omnia terrenæ originis ſunt; corpuſque totum de limo primitus figulatum, etiam ad nationum fabulas veritas tranſmiſit.

Veniamus ad infantiam: lacte hæc & pannis iuſſa eſt eſſe contenta. ab his initiis Regna & caſæ, diademata & ſocci. Si animum cogitas, idem eſt. hunc enim omnium afflator rerum parem corporibus afflauit, tamquam animarum parens vnus. Corpore proinde & animo pares: quid reliquum, niſi vt à virtute omnis imparitas? Hæc erit ergo, quæ magnos, quæ nobiles, quæ humiles,ignobileſque dabit. Benè in hanc ſententiam Satyricus:

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt, Põtice, longo
Sanguine cenſeri, pictos oſtendere vultus
Maiorum, & ſtantes in curribus Æmilianos?
Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atque vnica Virtus.

Benè Socrates in hanc ſententiam: rogatus, Perſarum Regem magnum fortunatumque arbitraretur; Neſcio, reſpondit, quantum Virtutis habeat. Hinc etiam hoc illius: Animus benè ad Virtutem compoſitus, nobilis eſt: reliqua longa ſæculorum varietas miſcuit, & ſurſum deorſumque

ſumque fortuna verſauit. Hinc & illud Platonis: Neminem Regum, non ex ſeruis; ſeruorum neminem, non ex Regibus oriundum.

Opes, & in ijs animi.

SI opes ſpectes, & ex his hominem metiris, etiam improbiſſimum magnum dices, cùm his onerari poſſit. An quiſquam Chelidonem è Cleopatræ mollibus vnum; an Natalem tam impuræ quàm improbæ linguæ; an Narciſſum Claudij, Aſiaticum Vitellij, Carum Neronis, Parthenium Domitiani libertos, prætulerit Poplicolæ, Menenio, Tuberoni, Cincinnato, Curio? Noli hominem metiri baſi. paruulus eſt pumilio etiam in monte; & coloſſus magnitudinem ſuam ſeruabit etiam in puteo. noli illum metiri alienis; non magis quàm à ſceptro aut purpurâ comœdum. ſimul enim hæc exuerit, ad ſua redibit. An quiſquam Orientis pugilem magnum arbitretur, cùm diffluueret opibus; an cũ abacti greges, cùm filij vnâ ruinâ denuntiarentur oppreſſi, cùm immundam vlceris redundantiam magnâ æquanimitate diſtringeret; cùm vxorem malis laſſatam, & ad praua ſuadentem, execraretur? tunc nimirum, non in opibus, nobile vexillum de inimico gloriæ ſuæ diabolo Deus extulit.

Feliciorem fors arbitraris diuitem. Sępiùs pauper quàm diues ridet: & huius hilaritudo, ſcenica

plurimùm,de ſuperficie,à ſupremis labris venit; aut ſi ab animo, fragilior eſt,cùm aduentitiis initatur; vt quæ à ludentis fortunæ pendeat manibus: à quibus quid exſpectas ſtabile? feſtinant in damnum,ad incrementa lentè exurgunt: neque vmquam eâ celeritate res reparant, quâ rapuerunt,quâ finiuerunt. quare omne illud gaudium citatum eſt,tranſit; imò euolat paribus cum fortunâ pennis. At pauperis ab alto riſus eſt, de ſuo gaudet. Et ferè videbis diuitem cogitationibus grauem, multa meditantem, voluentem animo multa, cùm interim riſum mentiatur. retege: omne mendacium tenue eſt, pellucet, ſi inſpexeris: videbis cor exedi, ac ſuperuacaneis fatigari. Sed felix eſt. Omnis,mihi crede,perſonata hæc felicitas eſt: cõtemnes,ſi ſpoliaueris. Vis noſſe hunc ornatum? quod equo ſtratum, aulæa domui, hoc opes diuiti. Intus conſidera: noli illum æſtimare pallio,aut faſciâ Regiâ; ſepone hæc ad modicum. Intus ſpecta: vide quid lateat, quid ibi ſit; hoc illius eſt; ab illo metire; ab animo nimirum virtutibus inſtructo. Quid ergo? cum opibus felicitas ſtare non poteſt? Poteſt. nam & in diuitiis ſeſe explicat Virtus, neq; illarum poſſeſſione quemquã interdicit: ſed hoc efficit,vt intrepidè quis poſſideat. Affluunt? tenebit colorem: diffluunt? ſtabit idem color. imò aduentitia ſingula,ceu fugientia, ceu adnatantia, in ſuum colorem vertet; non ab

iis ſuum mutuabitur. Ingruant mala, bona faciet; effera, manſueta dimittet; paupertas ipſa, diuite hanc animo complectetur. Aſſuetudo ad hæc ducet, & fortuitorum frequens meditatio. Ita ſolidiſſima corporis pars eſt, quam frequens vſus exagitat. Sic nautis videmus corpora ferendo mari dura; agricolis manus extritas: ad excutiendum tela militares lacerti valent; agilia curſoribus membra ſunt: illudque, vt ſemel dicam, in ſingulis ſolidiſſimum eſt, quod exercuit: tantum valet exercitatio. Hinc & Leonibus magiſter manum inſertat; oſculatur Tygrim ſuus cuſtos; Elephantem inſeſſor Æthiops cogit ambulare per funem. Maiora dabit quiſquis virtutem ſuam fecerit. mala nimirũ iuxtà ac bona ſua faciet: nec minùs in diuitiis quàm in paupertate beatus erit. Et ſanè infirmi eſt animi, non poſſe diuitias pati. M. Cato cùm laudaret Curium & Coruncanum, & ſæculum illud, in quo Cenſorium crimen erat paucæ argenteæ lamellæ, poſſidebat ipſe quadragies ſeſtertiûm: & ſi maiores obueniſſent opes, non ſpreuiſſet. Neque enim ſe ſapiens indignum fortuitis muneribus putat; nec reſpuit poſſeſſiones: ac licet illas non admittat in animum, in domum tamen ſecurus recipit; continetque tanquam maiorem virtuti ſuæ materiam. Magnus ille eſt, fateor, qui fictilibus vtitur vt argento, vt auro: nec minor tamen ille, qui ſic argento, ſic

vtitur auro, vt fictilibus. hoc etiam fortè hîc maior: instrumenta enim huic explicandæ nequitiæ fortuna concessit. non vtitur? magnus est. Nam cui illa negata sunt, quid iudices? Latēt in hoc fors vitia, plurimum ausura, si vires dederis. Intuere serpentem; licet frigore rigeat, non ideò desunt illi venena, sed torpent: accedat calor, & videbis non fuisse emortua, sed dormiuisse, fortiùs nocitura si excitaueris. Intuere dehinc Tygres & Leones; licet submittant aliquando, numquam feritatem exuent. da sæuitiæ materiam, exasperabitur toruitas mitigata. rarò enim vitia bonâ fide mansuescunt; rarò in æuum delitescunt. experire. materiam præbe: & à paupere experimentum cape. Crudelitas, ambitio, luxuria, in paupertate latent. arrideat benignior fortuna, ingerat pleno sinu opes; cognosces qualis fuerit. quamdiu instrumenta hæc desunt, quid iudicas? In diuite omnia habes, quæ nequitia, vt se diffundat, desiderat. at continet hanc, & freno in officio tenet, nec patitur erumperè: sin pergat efferare, calcat pedibus, vinculat, & quasi elisо comprimit gutture. magnus est, & inter primos numerandus. Quid hæc ad vos? Plurimùm. congessit in vos fortuna ingentes opes: supra priuatum pecuniæ modum prouexit; vt non iam habere, sed calcare diuitias liceat. & in tantis opibus stat mens recta: hoc viri est, & magni; & qualem vix singula olim

sæcula

ſæcula dederunt, vnum alterúmve. Scio à paupertate exiſſe magnos. Scipioni dos, Regulo mercenarius, Menenio funus defuit. ergo illius filiæ ex ærario dotem acceperunt abſentis Reguli colonus populus Romanus fuit; tertius ære collato funeratus eſt. Sed & è diuitiis ſcio prodiiſſe magnos. Catonem & Senecam quis ignorat? in ſummâ fortunâ, ſubduxerunt ſe fortunæ, introrſus beati & diuites: hoc vno à magnâ mortalium parte diſiuncti, quòd plerique habeantur veriùs à diuitiis, vt æger à febribus, quàm illas habeant; Licinium cogita & Mæcenatem: at illi diuitias cùm haberent, non habebantur ab illis. Magnus itaque ille eſt, qui diuitias, quas habere potuit, contempſit: maior qui poſſeſſis ſeſe exuit; aut exutus ſtetit interritus: nec minor, qui illis circumfuſus, magis audiuit ſuas eſſe quàm credidit. Prior ille ſecurus eſt, qui in paupertate dives eſt: at neſcio an non ille maior, qui in diuitiis pauper eſt. Et ſanè ingentis animi eſt, non corrumpi diuitiarum contubernio: nec minùs, inter cælata laquearia nullum pauere ſonum, quàm ſub viridi ceſpite. Illud verò quale eſt, in ſummis opibus non trepidare ad magnitudinis ſuæ præceps, cogitet licet quoſuis caſus, & in ſublimi maximè lubricos? quale illud, paraſſe animum in omnem fortunam; & in extremâ tenuiſſe colorem, quem oſtentauit in ſummâ? Iam quod præcipitium

vereatur, qui licet in monte, in plano tamen ſtetit; & cui omnis vertex planities fuit? Vos exemplo eſtis, qui per plana & excelſa pares animos circumfertis; & in alto timidoque diuitiarum præcipitio, tamquam in humili confidentique ſolo, gradum figitis.

Mercium orbe toto aduectarum varietas.

RElIqua ciuitatis, quæ opes tangunt, quæ diuitiarum ingentem acceſſionem, quid enumerem? non omnia complexus fuero, ſi dixero, quidquid natura produxit nobile, quidquid ad huius ſimilitudinem artifice datum ingenio & manu; adeoque, quidquid in deliciis rarũ, claudi his mœnibus; vt omnes arbitreris Prouincias Regnaque in vnã vrbem meliore potioreque parte ſui commigraſſe? quidquid enim vterque Indus, quidquid Arabs, quidquid Tagus, Nilus, Tyberis, Rhenus, Iber, Sequana diuite produxit fluxu; quidquid demum Oceano toto natura luſit, hîc ſedem iures firmaſſe. Vis marmoris eboriſque ſtrues tamquam rupes? vis piperis, caryophyllorum, zingiberis aggeriem tamquam montes? vis cinnami, croci, nardi nemora? vis ferri, chalybis, plumbi, ſtanni, æris ductilis aut caldarij, Cyprij, Corinthij, campanici, argentique auríque quædam fluenta, vt arbitreris metalla hæc vrbi vernacula? vis omnium vbique gentium opes, gemmaſque,

maſque, quas aut vanus Aethiops, aut inanes Parthi bullarum vice per omnia corporis anxiè forata, inſerunt; hîc de draconum frontibus, ibi de piſcium cerebris onera venantes; alibi de fluminum ac maris reiectitiâ deſpumatione conchas piſcantes, & in iis duriorem verrucam? vis quidquid orbe toto de raritate & peregrinitate gratiam poſſidet? hîc reperies. Vis deinde quidquid luxus cum naturâ depugnans inuenit, auſáque de colore eſt prouocare florem nobili tinctura, & textrinâ pari? cogita quidqud vbique florum, colorum varietate nobile; ſinon ſuperari, æquari naturam videbis: ita ingenioſa ambitio eſt: inuenit in Galatiæ grano, in purpuræ faucibus, in tenui venulâ, in rupibus à mari percuſſis, in alite, in omni re propè, quod educeret in oſtẽtationis pompaticæ curioſitatem. Iam nec vno contenti colore, alium alio operimus; ſic gemina à portentoſis non vno loco ingeniis via demonſtrata faſtui eſt. nec ſemper ſatiantur vellera, non bombycum viſcera, non arborum filamenta; ſed fraudantur ſucco, ſitíque ſuâ; ne totum ſi imbibant, referant liquorem: quin & ſuprà quàm expetunt bibere coguntur, vt ebria arbitreris, cùm plus hauſerint quàm poſcant. Diluitur etiam color vario in decorem accerſito temperamento, vt aliud iam referat, quàm natura dedit; ita iuuat luxum geminare miſcendo, & ipſa adulteria adul-

adulterare naturæ,ne viciſſe hæc videatur.

Quantas deinde vni lanæ aut byſſo picturas videmus intertextas;hîc ſcutulis,ibi floribus,alibi ſiluis,pratis,fluminibus,fontibus, montibus, vallibus,rupibus,& animalibus omnis generis,ad inuidiam rerum ipſarum ludentibus? vt nec montium deſideres vertices , non camporum ſupinam planitiem, non amnium fluores, pratorum virores , non lætam nemorum opacitatem ; non hîc ſcrupoſum, illic fecundum ſolum ; non ſteriles auenas, non fenerarios culmos;non rupium aſperitatem,non maris ſæuitiam , non malaciam; non volatus auium,volutus ſerpentum, ferarum curſus:ita in vnâ ſæpè texturâ,tam aduerſantia, & à variis delecta locis in vnum redacta corpus, cum naturâ de venuſtate depugnant.Quid quòd & viuentium vellera, purpurâ coccoque infecta viderimus , velut illa ſic naſci cogeret luxuria? quanto dehinc argento & auro intexta? quaſi parum ſit inebriaſſe purpurâ coccóve , niſi auro grauida nouum ab vtroque ſortiantur nomen : vt duplex hinc enaſcatur luxus; virorumque iuxtà ac feminarum eluceat forma, eo auguſtior , quo auguſtiori integitur.

Magnum fuerat olim in vnam deuehere Prouinciam,quidquid Europâ natum totâ; nunc niſi quidquid vbique eſt terrarum in vnam conuehatur vrbem, parum eſt. Quòd ſi quis in hoc genere curio-

curioſior, certiore ſingula diſquiſitione, Regnorum importatas opes, aut redditas ab hac vrbe noſſe volet, Guicciardinum legat: audet is, cùm Antuerpia ſtaret, negotiationem quæ annuatim inter eam Angliamq́; vltrò citroq́; peragebatur, ad duodecim auri milliones deducere. & quiſquam arbitrabitur pauciora ex Hiſpaniâ & Luſitaniâ, Oriente & Occidente toto, annis ſinguliſ proueniſſe; quiſquam ex Galliâ & Italiâ totâ inferiora; aut demum ex Germaniâ, Poloniâ, Sueuiâ, Norvvegiâ, Daniâ, Liuoniâ, Moſcouiâ ac vniuerſo Septemtrione minora? Hæc qui ſecum tacitus cogitauerit, perfacilè videbit, non infra quinquaginta auri milliones, annis ſingulis, in rerum emptionibus ac venditionibus in vnâ hac vrbe abſumi ſolitos; dum ſe Regnorum, quà patet orbis, mercimoniis onerat; ſuaq́ue viciſſim per omnia terrarum diffundit Regna. Neque interim quidquam hîc tango de iis quæ intra vrbis mœnia, quæq́ue per nobiliſſimas Belgicas prouincias diſpertitur: quorum numerum quis ineat? imenſa res planè eſt in tanto populo, tãtâ comprouincialium frequentiâ, qui ferè ab hac vnâ pleraque mutuantur: arbitreris matrem diuite ſemper vbere grauidam, cuiq́ue numquam deſit quod largiatur: arbitreris mare, cuius indefecta materia eſt; quanto plus hauſeris, tanto plus credas accreſcere; tantoq́; plus influere, quãto plus defluit.

Pecuniaria negotiatio.

IAm ſi ad pecuniariam negotiationem reflexeris oculos, credes omne hîc orbis aurum effuſum. exemplo vno alteróve aperiam. Vidimus his annis, vix ſolidis diebus viginti, ingenti auſu, è priuati nobilis negotiatoris manu ſupra ſeptingẽta aureorum millia in militaria erogari ſtipendia: vidimus deinde ab eâdem manu, menſe vno auri millionem vnum; ab eâdem denique menſibus non tribus integris, portentoſo conatu, auri milliones duos, & ſuper hæc aureorum ſeptingenta millia. Addo aliud, neſcio an minùs portentoſum; & conferre lubet cum veteribus. Inter humana prodigia, æs alienum Milonis, qui Clodium occidit, Plinius poſuit: at quid ſeſtertiûm ſeptingenties, ad auri milliones ſex, quos priuati duo, priuato debuerunt nomine? quibus tamen Rex ipſe plura longè debuit'. O animos non Spartâ, nec Româ, ſed Belgio, & Antuerpiâ vnâ dignos. Quid faciant Reges, in tam audaci fortunatoque priuatorum conatu? Quid Cæſar Dictator, cui ingens viſum eſt, poſt ſubactum orbem, poſt tot exercitus, tot terrâ marique prœlia, auri debuiſſe milliones ſex; cùm priuati duo non horruerint ad Cæſarianum æs; à quo etiam omni exuere ſe poſſe ſperant tam felici raroque euen-

euentu, quàm forti aggreſſi erant auſu ?. Quid Craſſus, cui ſatis fuit ad diuitis nomen legionem annuo tueri redditu poſſe, cùm ipſe in agris ſeſtertiûm M M. poſſideret? Quid Cæcilius Claudius, qui teſtamento edixit, quamuis multa ciuili bello perdidiſſet, relinquere ſe tamen ſeruorum millia quattuor, centum XVI.; iuga boum tria millia ſexcenta; reliqui pecoris CC. quinquaginta ſeptem millia; in numerato H-S. DC.? Quid Varroni naratus Ptolomæus, quem ſcribit octona equitum millia pecuniâ ſuâ tolerauiſſe; mille conuiuas totidem aureis potoriis, mutantem vaſa cum ferculis, ſaginaſſe? Quid Pythius Bithynius, qui platanum auream, vitemque nobilem, totq; modis laudatam, Dario donauit; qui Xerxis copias, ſepties nimirum centena LXXXVIII. hominum millia, excepit epulo; ſtipendium quinque menſium frumentumque pollicitus? Et hæc prodigia humanarum narrantur opum. & tamen quanta hæc portio ad immanes priuatorum in Republicâ hac conatus, paucorum menſium auſu?

Iam ſi vetereſ intueamur, & ad retroſiores, oculos conuertamus; ſciunt omnes, quicumque antiquitatem ſciunt, non fuiſſe apud illos numerum vltra centum millia: multiplicari deinde hęc ad decies centena millia pro portento fuit. at ætate noſtrâ, & in vrbe potiſſimùm hac veſtrâ, auri milliones tam crebrâ etiam plebeiâ teruntur lin-

guâ, vt non minùs familiares nunc illi ſint, quàm talenta olim decem.

Nemo hæc mirabitur, qui cogitauerit, quidquid propè gemmarum, quidquid aromatum dies profudit Oriens,quidquid Occidens auri potens,in vnam fluxiſſe hanc vrbem. Vis propius aliquid, quiſquis opes metiri voles? intuere ciuilia hæc bella. aberraſſe ne credes à vero, qui ducentos auri milliones, ab hac domeſticâ ſanguinariâ charybde inenatabili impactos profundo dixerit? cogita quid Iberia vniuerſa vtriuſque ſuffulta Indiæ opibus; quid apud Battauos Gallia, quid Anglia, quid Germania, ſubſidiaria vni populo regna,prodegerint; quanto partium ſtudio Regnorum opes, ab his fluctibus deſorbendas, æmulâ potentiâ proiecerint; & comperies parum dixiſſe qui ducentos, fors & qui trecentos milliones dixerit.Pudet referre plura,& creſcere dictionem in hoc infelici numero. Ergo finio; lectoris ſubductioni relinquens, quantum auri annis ſingulis per vniuerſi orbis cambia & recambia abeat redeatque ad vos ingeniosâ deductione.nam ſi in mercibus quinquaginta minimùm abeant auri milliones, quis enumeret mutatitium cambiale aurum? aut ſuperari hoc à reliquo negotiatorio, ſibi, aut cuiquam perſuadeat?

Orbis

Orbis delicię, & in earum vſu moderatio. Nauium frequentia.

IAm quæcumque in cibum, quęcumque ad potum faciunt, ſi voles; ſi omnium gentium vina, Cretica, Italica, Germanica, Gallica, Iberica; ſi quidquid ad ſecundarum facit menſarum delicias; ſi pirorum, malorum, prunorum, ceraſorum, nucum, pomorum denique genus omne; hîc habebis: neque aurea deſiderabis, non punica, non cydonia, non mala citrea; non ficus, dactylos, vuas, oliuas, cappares. Quid, quòd pleraque fecundiùs hîc proueniant, quàm in patrio ſolo? Et in tantâ tamen omnium copiâ, cupediarumque, quas aut terra facili protrudit partu, aut curioſa donat manus palati proritatrix, varietate, tantiſque condimentorum ex altero orbe euocatorũ generibus, in tam profuſo deliciarum campo, tantam quantam in vobis videmus parcimoniæ regulam, quis non miretur? Plerique enim veſtrûm nec nomina eorum norunt, quæ ab vltimo orbe aut mari, diuite ſemper claſſe, tamquam ad alteram terrarum parentem deuehuntur.

Viuite felices, in quos quidquid vbique de raritate nobile, ſingulæ contulere Prouinciæ; quaſi in ornamentum vrbis huius, natæ ſint omnes, & in hãc vnam reliquarum labor ſudauerit. Viuite,

non tam diuite omnium copiâ, quàm insigni raraque in tantâ benignioris naturæ largitione, parcimoniâ, felices. Viuite nulli Europâ totâ mercimoniis pares.

Nauium frequẽtia. Vidi cùm non semel flumen integerent naues, & tamquam strato ponte calcandum se Scaldis præberet; multisque non rarò septimanis in anchoris naues starent, priusquam aditu ad littus facto onera deponerent: & erant omnium Regnorum onerariæ, deuehentes quidquid vbique summum primumque.

Artes mechanicæ.

ARtes quis enumeret? & laus tamen cuique sua: ab ingenio enim omnes natæ, à quo omnis manuum dictatura. Paucas interim dabo, libero & ingenuo dignas. possem plurimas: possem propè quotquot orbe toto sparsæ recensere, quæ aut ab hac vrbe, tamquam à matrice solo, in reliquas orbis defluxere Prouincias; aut tamquam à nutrice excultæ, magnis locupletatæ incrementis, diuite ad suos auctu rediuere, feliciores ab hoc vbere, quàm ab illo vtero.

Et omnis quidem retrò antiquitas mirata Milesios oues tondentes; Seres arbores nentes; Tyrios tingentes; Phryges insuentes; aliosq; exinde herbarũ succis, & concharum alueis lanas incoquentes. Iam textricam Babyloniam artẽ quantis olim acce-

accepimus verſibus decantatam ? quanto illius ſingula Poſſidonius ſtudio proſequutus; quemadmodum torqueantur fila,ac ſuſpenſis tela ponderibus rectum ſtamen extendat : quemadmodum ſubtemen inſertum, quod duritiam vtrimque comprimentis tramæ remolliat;ſpatha coire cogantur,& iungi . vnde illud non minùs artifice calamo,quàm quidquid ibi manu luſum:

Tela iugo iuncta eſt, ſtamen ſecernit arundo.
Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis,
Quod lato feriunt inſerti pectine dentes.

Quæ omnia, pariaque, aut his maiora, cùm in vnâ hac vrbe, & delectu rariore, & ingenio fecundiore, & arte ſint venuſtiore, ne attingam quidem.paucis tantùm ingenuis contentus, reliquas & numero plurimas, & opere portentoſas artes tacitus præteribo.

Ars Pictoria.

PIctoriam non tranſeo intactam ; maximè cùm videam lege cautum, vt picturam ſoli ingenui exercerent,perpetuo interdicto ne ſeruitia docerentur, non Sicyone tantùm, ſed Græciâ totâ. Neque ego in magnâ hac arte, viuos attingam artifices, magna Europæa miracula: nam & modica in hac enumeratione gratia, & offenſa timeri poteſt magna. Si enim paucos enumeraue-ro, quid niſi inuidiam exſpectem?ſi omnes,ingens

ſit

ſit labor: ſi hunc illi anteferam, quid niſi linguæ iacula, aut penicilli ſperem licentiam? venient poſteri, qui ſine æmulationis prurigine, magna ſæculi vrbiſque veſtræ nomina nobili calamo propalabunt. de quibus interim, vniuerſim hoc audeo: nullam in his penicilli gloriam deſiderari; non oris venuſtatem, capilli elegantiam, oculorum argutias, non reſpicientes, ſuſpicientes, deſpicienteſque vultus; non veſtium ſinus rugaſque; non venarum implexus; non articulorum membrorúmque decora, muſculorumque contuberationes, ac quaſi bulbos; non camporum læta, triſtiaque; non luxuriantes, cadentéſve nemorum vertices; non colles aſcenſu ſalebroſos; non montium dorſa paſcuis, latera viretis, opaca luſtris, aperta culturis, concaua fontibus, abrupta fecundata fluminibus. Sed neque priſcos in his deſiderabis artifices; non Athenienſem Apollodorum, Parrhaſium Ephesium, aut Xeuxen illius linteo deceptum, cui etiam palmam conceſſit ingenuo pudore, non Eupompum, Pamphilum, Demophilum, Melanthium, Echionem, Euphranorem, Cydiam, Pauſiam.

Verùm de vitâ functis, & quos mors extra inuidentię iactum poſuiſſe videri poteſt, mihi verba. Habuerũt propè ſingula orbis Regna magnos in hoc genere artifices; quorum nomina æternitati ſacrata, ab illâ omnium artium ſcientiarumque

qúe admiratrice & laudatrice antiquitate. plures tamẽ vno ſæculo, ex hac vnâ Republicâ prodiiſſe, quàm ex multis retrò ętatibus toto orbe reperies. Repetamus gratâ vęteres memoriâ, & quantum fas eſt componamus.

Celebratur ab illis Bularchi tabula; in quâ Magnetum prœlium, à Candaule Lydiæ Rege repenſa auro. At ego video apud vos Franciſci Floris cæli pugnam; Luciferum deciduum, ſuperſtantem Michaëlem, huius agmina inſultantia, terrentia, minitantia; illius è præcipitio pendula, ac in medio lapſu tremula, vt & cadere arbitreris, & mente turbatâ vltimâ blaſphematione cælum impetere. Video alibi Dei matrem conſcendentem cælos, ludentesque circumſecus angelos; vt & diffluere gaudio beatas illas mentes, & aëra pennis ſcindere lento ſuauique quodam remigio, arbitreris: ſed & omnem circa regionem cæli gaudium perſentiſcere; ita omnia lætitiæ quamdam frontem induiſſe videntur, depulſis mœroris ſignis. Huius etiam eſt Iudicium in die Domini magno. multa hîc ad horrorem; ſententia Iudicis, cuius adhuc vltima verba innatant labris, & indignantes oculi maledictum iaculãtes: inde corporum raptus, inferorum gurges; mixtæ infelici interitu maribus feminæ, iuuenes ſenibus: cæli dehinc amœna, corporumque ad illa volatus, vt mireris tam diu ſuſpenſa aëri ſuo in-

hærere quaſi æternùm volantia: quoſdam etiam apud inferos torqueri, alios in cælo gaudio diffluerē, æmulâ bonorum & malorum retributione; vt & ſpectatorem ſuum tormenta terreant, & alliciant gaudia. Dedit de eâdem re Iacobus de Backer, varium & nobile opus, dignum poſteritate & vitâ; & quod cum veteribus componatur.

Magnus fuit Parrhaſius Epheſius, qui Creſſam nutricem, infantemque in manibus dedit: qui Athletam in certamine currentem, vt ſudare videatur; qui alterum arma deponentem, vt anhelare ſentiatur. Magnus Ariſtides Thebanus, cuius erat oppido capto ad matris morientis è vulnere mammam adrepens infans: intelligiturque ſentire mater, & timere ne emortuo lacte ſanguinem infans lambat. Non erit inferior Petrus Bruegelius, qui Infanticidium Herodis in mediâ ſtatuit niue; vt & niuem credas, & ſanguinem iures; & exhorreſcas in illâ ſanguinis & niuis, candoris & ruboris, fœuâ miſtione. Iam vbi marem videris ſpargentem comas, lacerantem vultum, & pro ſudore lacrymas, tamquam ſalebroſos torrentes, vnicum cari ſolamen pignoris, protrudentem, quid dices? quid vbi alteram, quaſi iam iam cadente animâ, aut in vltimo ſecretionis ſuæ ſpiritu iacētem; in quâ cùm nihil videas lacrymarum, mortis videas plurimum: vbi tertiam vno vulnere lac & ſanguinem fundentem, pendentiſque

que ab vbere infantis animam imbibentem; vt & infans lac ſanguinemque bibat, & animam in eamdem nutriciam mammam iaculetur, tamquam redditurus vitam, à quâ acceperat; non inclames, Viciſti? quid vbi infantem ingenti vulnere confoſſum, in quo intelligere poſſis quantum reſtet animæ, & in vltimâ illâ proiectione niuem pro vberibus ſugentem, quaſi in redhibitionem animæ per vulnera fugientis; non acclames, Io triumphe?

Ingens gloria Timantis, cuius eſt Iphigenia, oratorum laudibus celebrata: quâ ſtante ad aras perituræ, cùm mœſtos pinxiſſet omnes, præcipuè patruum: in quo cùm omnem triſtitiæ imaginem conſumpſiſſet, patris velauit vultum, quem dignè non poterat oſtendere. Erítne minor Quintini Meſſys, à quo habes demortuũ Chriſti corpus linteo inextenſum? Videbis hîc ſub caræ ceruicis onere, non tam põdere quàm dolore fatiſcentem Nicodemum, ſuccidentibus genibus. Videbis Dei matrem, quæ in cruce ſteterat, in filij morte tamquam laxatis neruis, ſolutâ cõpage, decoriter ſubſidentem, ni à diſcipulo, cui commiſſa, ſuſtentetur quaſi in ſubſidium: cui etiam, non vt ſub pondere cari pignoris, ſed vt ſub ingenti mœroris mole, genua labant. Videbis & Magdalenam pugnantibus inter præcordia mœſtitudine & amore, vicariamque animam pro dilecti animâ ſpondentem, dum

capillum ſpargit, vnguenta parat, & capillorum & vnguentorum & oblitam ſui. Habes & Ioannem, in ardenti aheno, æſtuante oleo & tamquam de inſeſſoris ſui victoriâ indignante, animo vultuque pacatum, ac quaſi à tepenti medicante balneo recreatum. Habes puellam pſaltriam in Ioannis cæde, inuerecundo librato veſtigio, terram non tam inambulantem, quàm verrentem: habes puellæ matrem, quæ libidinis oculos in demortui caput iaculatur, tam impuro obtutu, vt frigeat omne lupanarium ſcortum, præ hac flammâ. Magnus Xeuxis. Inferiórne Ioannes Hemſſen? aut cuius ingenij artiſque decus maius? intuere vtriuſque penicilli, tamquam doctæ matris eruditos partus; dubitabis, magíſne eluceat illius Iupiter latera claudentibus diis, an huius Prodigus Bacchidibus circumſeſſus; illius Hercules dracones ſtrangulans, an huius Prodigus deiugulato marſupio, fuſtes pro genis baſians; illius Alcmena matre pauente, an huius Prodigus incertus animi, pugnantibus inter ſe, fame, frigore, erubeſcentiâ, præteritorum memoriâ, futurorum metu. Quid quòd in eâdem tabulâ non vnius gloriam æmulatus? Clarus veteri famâ Niceas, qui ſupra reliquos, canes proſperrimè expreſſit: at noſter felem, quæ nihil illius concedat moloſſis. Clarus Pauſias, cuius boues imitati multi, æquauit nemo; ac neſcio an huius porci inferiore lintrem degrunniant miraculo.

raculo. Clarus Timomachus, cuius Medeam octoginta talentis venumdatam accepimus : aſt ego dubito, dignóne ſatis auro permutari poſſit Hemſſeni Lena, exertâ impudenti linguâ Prodigum inter amicas ludens. Taceo tabulę huius reliqua, menſæ apparatum, ſenem bibulum, cæcum citharœdum, operiſque auctorem varias vno ſpiritu tibias animantem, omnimodis peritum vt pictorem ita & modificatorem.

Varro narrat cognitũ à ſe Poſim nomine, ab eoq́; factas Romæ vuas & piſces, ita vt nõ eſſet aſpectu diſcernere à veris. Quid diceret ſi culinam vidiſſet Ioachimi Buecklaer, in quâ poma & hortorum reliqua; in quâ altilia, carnes, piſces, ita rem mentiuntur, vt non vnã fallant ancillam coquariam?

Fuit & Pamphilus, cuius eſt Vlyſſes in rate, vt & periclitari videas, & ſperare: & Echion, cuius eſt Liber Pater, in quo victorem agnoſcas, & hederatam tamquam à torculari lubentiam. Apud vos verò Guilielmus Key: cuius eſt Chriſtus immoriens cruci, latroque inter blaſphemas vltimâ deſperatione voces animam ingenti corporis contorſione euomens; alterque culpam agnoſcens, & veniam deprecans. Sed ſuper hæc, ſenex venerandâ canitie, læto vultu, ore blando, cui nihil deſit extra vocem: nam & animam ineſſe reris, ita oculi, os, vultuſque reliqua, totam cum penicillo mentem afflatam teſtantur.

Laudatus etiam, & inter primos numeratus Protogenes, qui anhelantis canis ſpumam, meliùs iratâ ſpongiâ quàm penicillo expreſſit: cuius etiam eſt Satyrus tibias tenens & inflans, & variâ concentus expectatione auditorem fallens. de quo illud veteres, omnia illi cum Apelle fuiſſe communia, niſi quòd ille manum de tabulâ neſciret tollere, memorabili præcepto, nocere ſæpè nimiam diligentiam. Neque Protogene minor Martinus de Vos; cuius eſt, auerſantis pſaltriæ vultum, magni Baptiſtæ caput; truncumque corpus, tamquam à recẽti vulnere & lapſu ſupinum. Huius etiam eſt Antonius in aëra raptus, tantâ ſtipatus monſtrorum ſæuâ varietate, vt nihil neceſſum ſit ad terrorem inferos adire; vna te tabula docebit quid timere debeas.

Fuerunt & alij ſinguli in arte, quam profitebantur, magni. Hic Callimachi exemplo non ſaltantes Lacænas, ſed ruſticum agmen recoctum cereuiſiâ, tam certâ expreſſit agrariâ lege, vt nec Bacchum deſideres, nec illicem tibiam. alij, nemora, arbores, frondes, luxurianteſque comas, acquaſi à vento motas dederunt, vt & ſibilum exſpectes, & aues fallant infidâ ſede. pluresque hîc etiam, quos graue foret recenſere, & curioſo volumine percenſuit Carolus van Mander. Vt ſi ſuos iactet Italia Vrbinos, Angelos, Tizianos; ſuos Germania Dureos, Holbenios, Aldegrauios: ſuos

Petrus Balten.

Cornelius Molenaer

Ioachimus Patenier, Ioachimus Beckelaer.

Ant-

Antuerpia poſſit Quintinos, Florios, Bruegelios: vt vnam iam vrbem cũ tot laxiſſimis regnis ingeniorum magnitudine audeam componere. Quid ſi ciuitatis huius reliquos? quid ſi vniuerſi Belgij nobiles pictores adduxero, & è ſingulis oppidis ſuos euocauero, quantos darem? Cleuios, Brilios, Cockios, Congnetos, Mabuſęos, Moſtardos, Moros, Schoorelios, Aertſios, Hemskerkios, Pourbuſios, Barenſios, VVinghios, Hofnaglios, Cocxios? Cocxij eſt Antuerpię Sebaſtianus iaculo trãsfixus: in quo videas ſentire animam, ſiniſtri pedis femoriſque retractu, cùm intima, ſagitta depaſcitur: quin & ſpectatores vulneris dolorem ſentiunt: & Georgius ab eâdem manu trunco affixus; rotaque crudeli circumactu Martyris membra perpetuis nouaculis dilaniatura, in ipſo volutionis ſuæ initio cælo tacta, & in crudelitatis miniſtros eo potentiùs ſæuiens, quo in vnũ Martyrem multorum carnificum ingenia ſudauerant. equos hîc habes cum ſeſſoribus turbatos; vnum etiam excuſſum pronum in terrâ, in cuius nudo dorſo omnis ars certare videatur: neque minor hîc naturę expreſſio quàm in Apellis equo, ad quem adhinniuerunt equi viui. Nullus ſit finis ſi pergo. ergo abrumpo, & in medio curſu gradum ſiſto. totamque hanc artem, humanæ æmulam naturæ, cogitationi potiùs cuiuſque quàm calamo committo.

Scul-

Sculptoria, Cælatoria, Inciſoria ars.

PIctoriam, Sculptoria comitatur; in quâ, non erubeſco fateri, vincimur numero. agnoſco enim ſtatuas, variis in regnis, ad inuidiam propè omnis naturæ fabricatas. Memini Apollinis cubitorum XXX. ex Ponto à Lucullo delati: memini Iouis cubitorum XL. à Syſippo facti; memini Solis Coloſſi cubitorum LXX. trecentis à Charete talentis fabricati; & ſuper hæc Mercurij, in quo Zenodorus annos ſolidos decem ſudauit H-S. CCCG. Iam Phidiæ Olympium Iouem quis ignorat? quis Polycleti pueros talis ludentes; Lyſippi tibicinam temulentam; Praxitelis Proſerpinæ raptum; Calamidis equos; Creſilæ vulneratum; ceruum Canachi; Demetrij Mineruam muſicam; Euphranoris Paridem? quis Lycij pueros ſufflantes languidos ignes? quis aquilã Leocræ ſentientem quid rapiat? quis Nauceri anhelantem luctatorem; Amazones Strongylionis? quis Theodori muſcam, currũ & aurigam alâ integentem? quis Epigoni infantem matri interfectæ miſerè blandientem? quis denique Callimachi neſciat ſaltantes Lacænas? Hæc marmore, hæc ære, hæc vario lapide tot manus luſerunt, vt numero vincamur. Neque tamen adeò egeni etiam in hac parte veſtri: nam ſi non erubeſcit veritas, pauci è veſtris omnem explent numerum. quis enim Antonium van Breda, Cor-

Cornelium Floris, Ioannem de Haſe, Ionghelingum, Paludanum nouit; quis horum opera, qui non inclamet, Non impari felicitate fluxerunt hîc æra, ſteteruńt marmora.

De Cælatoribus verò quid dicã? nobiles in arte, *Celatoria.* Ariſton, Lesbocles, Prodorus, Pithodicus, Polygnotus, Stratonicus, Scymnus; omnes argentum cælare ſoliti. quibus neſcio an quidquam concedant veſtri, Matthæus Valck, Vdalricus Spirincx; & ante omnes VVolfgangus van Breda, qui primus malleo ſtiloque ſubſtratâ pice cælare docuit, cùm antè fuſili omnes ductu laminas in formas cogerent. ergo vincitis, habet hîc enim omnis retrò antiquitas quod diſcat, quod imitetur.

Iam æris argentique Scalptores quo ſtatuam loco? cedit omnis vetuſtas. Sæculi hæc beatitudo noſtri eſt; tantâque naturæ imitatione, vt nec picturæ, nec cælaturæ, nec ſtatuariæ quidquam arti debeat. Scio varias Prouincias magnos in hac arte dediſſe, noui Dureos, Aldegrauios, Leidios. nemo tamen cum veſtris, tenuioris inciſionis elegantiâ, nemo oris vultuſque venuſtate, nemo blandâ genarum adlubentiâ, nemo oculorum amœnâ ſuauitate certauerit. vincitis. ipſaque adeò natura æmula iam arti, lineamentorum melleo quodam ductu vinci ſe miratur, & dolet. *Inciſoria.*

Ac neſcio an non magis, cùm etiam calamo

æquari, propè audeo, ſuperari ſe videt. Nemo mihi hîc veteres; nulli ſunt. nemo ab alio orbe Chinenſes aut Iapones; fruſtrà euocabit. nemo à vicinis Regnis; nihil reperiet, quod veſtris componi poſſit: ita mortui, vnius calamo, vitâ quâdam donantur, vt viuere arbitreris; nihilque iam extra vocem deſideres. qui ſi eâ felicitate animam expreſſerit quâ corpus, quid de vitâ dubitemus? Ergo calamo vincitis, quidquid vſquam antiquè, quidquid nouè fuit. & hęc gloria veſtra eſt. Fuerũt qui imitarentur, nec ineleganti ſequelâ. Verùm vmbras ibi videmus corporis veſtri; & quaſi repercuſſorias quaſdam voces ad humanas veras. Efferat nunc hîc ſua antiquitas, Apollodori Aiacem fulminatum; Xeuxis Alcmenam, Pana, Penelopen; Tiberij Archigallum; Pamphili Vlyſſem in rate; Ariſtidis ægrum; Pauſiæ boum immolationem; Euphranoris equeſtre prœlium; Niceæ canes; Athenionis agaſonem; Cydiæ Argonautas; Timomachi Medeam; arteque ſuâ claros reliquos: vnus veſter, calamo, nulli veterum cedit. Sint Attali, Demetrij, Hortenſij; non deerunt, qui aut octoginta, aut talentis centum, qui H-S. LX. aut CXLIIII. mercari velint vnius opus calami. quo etiam tamquam Apelleo penicillo, purpureum addit genis decus, labraque tingit; vt nihil interſit, ſi qua fides oculis, inter hęc emortua, & totâ plena animâ. Hinc nihil dubitem aſſerere,

rere, ſi exurgant Critias, Neſtocles, Hegias, Scopas, Lyſiſtratus, Stenius, omneque variâ ſemper olympiade artificum genus, fore, vt cum Xeuxe, vni palmam calamo, tamquam Parrhaſij concedant linteo.

Ars Typographica.

TRanſeo ad Typographicam, orbis portentum, ingenij miraculum. in quâ quis referat ſingula? quis chalybem tamquam patrem; quis æra tamquam matrem? quis plumbum ſtannúmve tamquam fecundum ſemen, fertili immiſſum vtero? atque hinc proles quibus æternùm viuitur. in quibus tam variè ars ludit, vt erubeſcat natura ſe ab humano vinci ingenio. Iam ſi in ſingulis characteribus numerum cogites; ſi intercurrentia ſpatia; ſi accentuum, ſi diſtinctionum ſenſum diſcriminantium varietatem, ſine quâ ille tamquam ſine vitâ iaceat; ſi nexuum dehinc, tamquam vinculationis indicia; ſi quibus plus intelligitur quàm exprimitur ſigna, quæ ingeniosâ defruſtatione & demembrant verba, & largiuntur integra; ſi maiores dein characteres, tamquã agminis ductores, & capita ſupra reliquam turbam efferentes conſideres, quis non tot in vnâ re portenta quot res arbitrabitur? Quòd ſi ad prælum oculos circumferas, plena miraculo ſunt omnia. nam quæ infrà marmora, quæ ſuprà æreæ laminæ

tamquam cylindri, quæ latera ligna claudunt, quæque hîc gemunt, ſudant, ludunt? Iam verſatilis inter chelonia ſupera & infera ſuccula, quantâ baſim premit libellâ, quãtâ exſoluit? Quid vectes referam, trochleas, ductarios funes, quid anſas, fibulas, tympana? quid pilas tomentis fartas, miro in orbem flexu tamquam torno ductas; colore deinde tamquam pingui ac adipato quodam rore tinctas, quo characteres fecundantur? qui deinde è ſtatione ſuâ, in chartam tamquam alienum agrum, exituri, nouo dominum beant fructu, à quo vita etiam poſt funera redit. Viuit enim qui non moritur. non moritur qui in cuiuſque noui lectoris oculis & pectore vitâ viuit nouâ.

Hanc vitam à Plantiniano prælo quãti acceperunt? perierãt æternæ inſepulti obliuioni; aut tamquam animâ numquam conlatâ, aut tamquam vniuerſim creptâ, iacebant proſtrati in perenni quodam ignaueſcentes ſopore; ni ab hoc afflatore, nouâ redanimatione rediiſſent in vitam. Scio in omni propè gente floruiſſe in hac arte nobiles; noui è Latio Manutios, è Germaniâ Frobenios, è Galliâ Stephanos. at vos vnius Plantini nomine omnium tenebraſtis nomina. Si ſidera illi Regnis ſuis; Sol veſter fuit; non Vrbi huic, nõ Belgio; ſed Orbi, quà patet. Et vt omnia huius magna, nihil maius fuit Bibliis Regiis. quæ quicumque è Latio, Græciâ, Palæſtinâ, Chaldæâ, Syriâ intuebi-

tur,

tur, non exclamet, Viciſti; octauum orbi miraculum hîc eſt? Et non tanti machinatorem operis, altè ſublatum, per quidquid eſt orbis ſicco deuehant pede, viridiqúe

——*aduelent victricia tempora lauro,*

quotquot nobiliſſimæ huius & æternaturæ artis cultores, Regna & Imperia fouent?

Ars Architectonica.

SEquitur Architectonica, ars nobilis. quales verò quantiqúe in eâ, cùm vrbs loquatur vniuerſa, quæ ſupra reliquas orbe toto caput exerit, tum vnum DIVÆ MATRI ſacratum templum locuples mihi teſtis; cuius ſi ſurgentes parietes, & conatum oſtentantes intuearis, miraberis animos ingentesqúe auſus, prodigioſo quouis per ſæcula opere maiores. vt iam ſi pyramides Regum, quæ orbem famâ impleuere, cogites, humiles arbitreris caſas præ hoc molimine. Cogita quas vbique voles, & ab vtroque orbe accerſe in vnum, ſiue quas in Arſinoë, ſiue quas in Memphi, ſiue quas ſex & ſexaginta hominum millia annis viginti, ſiue quas octo & ſeptuaginta annis conſtruxiſſe produntur; in quibus, in raphanos & cæpas, mille & octingenta talenta narrantur erogata; reperies audaci operis veſtri conatu, quidquid in illis magnum fuit, fuiſſe minus. Iam turris operi impoſita, quanta? parem neſcio an ætas omnis retrò vide-

rit: etiam in illâ, quam insula ostentat, Pharo, octingentis à Gnidio talentis ædificatâ, inueniet quod vincat: maximè cùm in ambitu angustissimo, in prodigiosam exurgat celsitatem; portentosum per omnia humani opus ingenij. Multam, veteres posteritatis auidi, dum in cæmento luxuriantur & lapide, impendio nulli profuturo, gloriam vesanâ quæsiuere dementiâ; nusquam fidem repertura, nisi ab oculatis denuntiarentur auctoribus. Super quæ omnia, immania narrat Varro de Porsenæ Hetruriæ Regis monumento: cuius cùm enumerasset pyramides, cùm æneum in summo orbem, cùm huic orbi quatuor alias superstantes pyramides, altitudinem erubuit adiicere: meritò: cùm insanæ hæ moles nihil tegerent præter cineres. Potuit aliquid vilius, potuit fœdius, ac quasi in contumeliam humani generis certius aliquid excogitari pyramide, quam meretricio quæstu Rhodope Aesopi fabularum conserua posuit? fuit tamen hæc vno omnium ore laudatissima; veterumque adeò iudicio prima. Quæ omnia, si vestra spectem, si Deo in DIVA MATRE dicatum templum, si ingentem in hoc conatum, nulla iam sint; & submittant volentes operi vestro fasces. Adde, quòd illa in nudam vánamque ostentationem, in fatuæ potentiæ propudiosam lasciuiam: at vester omnis labor sudauit Deo.

Verùm

Verùm dum vetera confero, ne verbis lusisse me nudis quisquam arbitretur, componam celebratissimum orbe toto Ephesię Dianę templum, plurium, Plinio teste, librorum opus; viginti & ducentis annis ab vniuersâ Asiâ factum; cum vestro, DIVÆ DEI MATRIS magno nomini inscripto. Fuit illius longitudo quadringentorum & viginti quinque pedum, latitudo ducentorum viginti, ac in eo columnæ centum viginti septem. Templi verò vestri longitudo minimùm pedum quingentorum & decem; latitudo plurimùm ducentorum quadraginta, ac non ignobili parte sui, sexaginta & trecentorum pedum. Iam columnas quis enumeret? siue quæ sub ingenti fornice tamquam sub cælo Atlantes sudant, siue quæ latera claudunt, firmantque vniuersam machinam ingeniosâ dorsuatione? numero Ephesinas superant. Reliqua ædis vtriusque, cogitationi cuiusque potiùs quàm calamo committo. perfacile enim erit ex hac rudi vtriusq; diductione, reliqua templorum assequi. Iam si priuatorũ domus intuearis, vix oculis credas, ita in immensum exurgũt: nec rarò in pedes octoginta, centũ etiã; & tamen tam exilibus lateribus, tam tenui vestibulo, vt plurimùm parietes nõ nisi pedem vnum latitudine expleant; ac non rarò ne pedem quidem. & perstant æternùm: vt arbitreris nullum sentire senium, nullumque videas reformidare ven-

ventorum incurſum : ſæuiant illi ; ſtant domus tamquam ære fuſæ,ac ne veſtigia quidem ſæuitiæ referunt.

Venio ad publica. Senatoria domus quanta? è ſolido ſtat illa marmore;nouoque decorata ſaxo, peregrinum oſtentans ſolum,

Premit columnas vltimâ reciſas

quas arbitreris Africâ. has inter quadraginta & nouem lati ducunt aditus, oſtiaque totidem,totidemque negotiationis atria, è terrarum vltimis diuitata. Hîc ſi quis curioſior artem genuſque ſingularum velit partium, tamquam membrorum;dabo paucis, ne & defuiſſe videar,& prolixitate nauſeantis ingenij faſtidium prouocaſſe. Pars infima variegato ſtat marmore, Tuſcanâ manu, incultiore ſæuioreque ſtructurâ ;cogita Centauros,homines equis ſuis implexos, aut durum Lapithûm genus. Altera Dorica . quâ olim Herculi & Marti ſacrauit ædes Antiquitas . hac Dores ſtructurâ delectatos accepimus : quæ plus oſtentat virilis roboris,tamquã humeros latos, ingenteſque membrorum artus, quàm feminei ornatus. Tertia Ionica, quâ Iunoni,Libero , Dianæ, Ioues primitus templa dicarunt, muliebris gracilitatis æmula,que nec virgineam referrent mollitiem,nec virile pectus,non oſſa,non lacertos: ſed matronali contenta maturitate, quidquid aſperum eſſet ac quaſi cęſtuoſum, fugerent;quidquid nimiam

nimiam ſuperet mollitudinem, auerſarentur. cincinnis tamen,ac tamquam femineâ capillaturâ decoriter diſcriminatâ. Quarta perpetuo columnata in orbem ambitu eſt. Frons operi toti prominet columnarum ſignorumq; nobili ſymmetriâ:omnia è maculoſo marmore,Lydio intercurrente lapide & miraculum augente. contabulatiõ frontis vniuerſi,ima Tuſcana,ſecunda Dorica, tertia Ionica eſt, quarta Corinthia, quâ fontium Nymphis ſacraſſe tẽpla veteres accepimus, mirâ exilitate,& virgineâ teneritudine. atque hîc ornamẽta capite dependẽt, acanthi foliis, Callimacho repertore,perſimilia: totam denique floridam, faſciiſq; caput circũcinctam reperies. Quinta Italica,ſeu mauis,Cõpoſita:ex Ionicâ & Corinthiâ decorem mutuata. Hîc florum frondiumq; & pomorum videbis implexus, coronario luxu, foliis flores & fructus intercurſantibus: nec rarò trophæis ornata militaribus. in cuius medio effigies Dei Matris eſt, Polycletæâ manu, Apellæo ductu. Quam vos, immani deturbato coloſſo, ingentium ab vrbe hac conditâ beneficiorum à beneficâ illius manu acceptorum memores,gratâ ſtatuiſtis memoriâ: frendeant licet Cœpronymi, fremant Iſaurici, rideant Diagoræ,ſtomachentur Cyrenæi, vos hanc DIVÆ MATRIS effigiem, teſtatiſſimam ſtatuiſtis orbi, fidei à tot ſæculis acceptæ,ac iam inde à VVillebrordo in hanc æta-

tem tutatæ, teſſeram. Pergitæ felices, æmuli maiorum, quorum liberali dexterâ, cunctis propè Belgij orbiſque Chriſtiani primis vrbibus, Diuæ Dominæ noſtræ, auguſtiſſima ſtant templa, priſcæ probitatis ac Religionis monumenta. Latera Centauri cingunt, monſtrorum domitores, ingentibus armati clauis; vt nihil iam mireris cæſtus

—— quibus acer Eryx in prælia ſuetus
Ferre manus, duroq; intendere brachia tergo;

cùm illos intueberis, quibus non modò magnũ Alcidem contra ſtare, ſed & indubitatum audeant triumphum ſperare. Excipiunt Centauros pyramides, claudunt́q́ue tamquam nobili metâ, opus nobile. Sexta, pro columnis hîc Caryatides oſtentat, quaſi in hac ėtiam vrbe, Græci Perſico defuncti bello de Caryatibus æternùm triumphent; ibi Perſicum ex hoſtilibus manubiis trophæum, Lacones Pauſaniâ duce ſtatuiſſe credes: tamquam ſuperbiâ caſtigatâ, barbara ſimulacra, tecto deridiculi Atlantes, domitas ſubiicere ceruices cogantur. Opus vniuerſum integit ſuperſtans aquila, expanſis alis: tamquam ſi corporis ſui molem, quadam pennarum velificatione, modico caudæ gubernaculo, contabundo volatu, in certam dirigat metam; aut in aliquam, fulminis vice, de cælo ruat prædam. putes perpetuò pendulam ſingula intueri, montes, campos, vrbes, feras,

feras, homines; ac per illa indefeſſa remigia magnum aliquid ſpirare.

Quàm verò non vno calamo, non vrbis modò huius ſed Europæ adeoque Orbis totius negotiationibus deſtinatus locus, ſed multis, magnis, nobilibuſque digniſſimus? huius area periſtylio ambitur auguſto amploque, quadraginta & tribus è Scocinio patrio marmore columnis ſubnixo: quarum ſcapi, mutuum mutuâ elegantiâ lenocinium præſtant; ita ſinguli alio atque alio elucent ornatu, tamquam ſi ſingulis ſingulæ inaraſſent doctæ manus, (quaſi facili ductilique terræ vomere aut rotâ) vt mirum ſit potuiſſe in tot columnis tam diuite varietate ludere ingenium vnum, adeò diſcriminatâ paraturâ, vt cùm ſinguli ſuo ſtent cultu, nullumque ab aliis mutuentur, tum mirâ ſimilitudine, ſpectatoris oculos, læto gratoque circumueniant dolo; dum quos primo obtutu cenſebant per omnia pares, propiore diſquiſitione, toto deprehendant, qui ſingulis inerrat, diſpares ornatu. Hîc columnis triformes inſiſtunt arcus opere Gotico, ſaxeis paſſim foliis tam ſcitè interludentibus, vt prouocare arbitreris omnem de peritiâ vetuſtatem. ſed & periſtylij fornix cum columnis de varietate & elegantiâ certat, tam raro varioque ductu, vt dubites varietas elegantiam, an hæc illam ſuperet. *Burſa.*

Non tranſeo hîc ingẽti ſumptu & auſu, venden- *Aniae-rum officina.*

dis exædificatam domum aulæis, quæ raritate ſuâ meritò per omnes eat ætates poſtumas. Patet in longitudinem pedes octoginta ſupra ducentos, reſpondetque operi latitudo. complectitur verò ambitu ſuo ſex & viginti loca, aulæorum reconditoria, vt arbitreris cellas promas omnium in hoc genere elegantiarum, opumque nullo calculo metiendarum; ad oculorum quantumuis curioſiorum certiſſimum ſtuporem: ita ſupra artem byſſo pleraque & auro grauida, dubium relinquunt, ars opulentiam, an hæc artem vincat. Quamquam ſi ex vero ſingula metienda, dicẽda, perfacilè vicerim, nullâ olim vetuſtate ſuperatam, æquatam ſæculi noſtri artem, nullâ. Scio veteres variâ in veſte ad miraculum luſiſſe. quis enim ignoret Iſtrianas pexas, quis ſcutulato è Luſitaniâ textu; quis Martiali decantata gauſapa,

Nobilius villoſa tegant tibi gauſapa citrum?

aut cui Lucilianæ ignotæ

Pſilæ, atque amphitapæ molles cũ ingentibus villis?

qualia Plinio amphimalla, & villoſa ſunt vẽtralia. quis Phryxianas neſciat togas, nouiſſimis Auguſti temporibus (Feneſtellâ teſte) nobiles? iam papauerratas quis non audiit? quis non pictas & triumphis natas? crediderim à Mauris: præit Martialis:

Quando eques & picti tunicâ Nilotide Mauri.

Quin & Phrygiâ legimus pictas acu; an non & Ægyptiâ?

Quod

Quod Nilotis acus compressum pectine Serum
Soluit, & expanso laxauit stamina velo.

Sed & auro habemus intextas, Attalo repertore, vnde nomen Attalicis. Colorum exinde varietas Babyloniâ primùm manu de venustate certauit,& nomen imposuit. innuit Martialis eleganti versu:

Nonego prætulerim Babylonica picta, superbè
Texta, Semiramiâ quæ variantur acu.

Plurimis etiam liciis intexere Alexandria docuit. Hæc veteres: quæ si cum nostris componantur, dices agraria illa esse, & in siluis nata; vrbica nostra, & à summis ingeniis profecta. Scio inter obiecta Capitoni crimina, Babylonica fuisse triclinia, quę sestertiûm octingentis millibus venerant. Scio quædam Neroni principi quadragies sestertio stetisse. lusit ad hæc Silius:

—— Euluo certaret vt auro
Vestis, spirantes referens subtegmine vultus.

At hæc illâ ætate, & in nouitiâ tunc reperturâ, quę ferè pretia à nouitate metitur. Quæ si vestra vidisset, nulla satis digno pretio cõpensari potuisse arbitrata foret: nunc frequentia vilitatem pretio peperit, ita abundantia semper in se ipsam contumelioſa est. Idem videmus in omni re. apud barbaros enim quosdam quia copiosum & vernaculum est aurum, auro vinctos in ergastulis habent, & diuitiis malos onerant; tanto locupletiores, quanto

nocentiores. cùm contrà peregrinitas vbique gratiam reperierit, à quâ res quęque pretium possidet. De varietate verò, & innumero propè colorum in vestris lusu, quid dicam? superat res ipsa fidem, adeò in immensum creuit, ingenio superante naturam. nullus hîc color abest, cogita quem voles; ac si exemplum poscis, nulli pauones, siue quà colla florent, quà terga fulgent, quà caudâ iacent, tam variâ vestiuntur plumâ, quàm sæculi nostri vrbísque vestræ tapetia: ita multicoloria, discoloria, versicoloria videas, totiesque propè mutanda quoties mouenda; ac in omni flexu reflexuque alium atque alium colorem ostentantia: vt nescias an ludat aliquis error in re seriâ firmâque. Hoc, vt reliqua taceam, singulare, non reperiri parem in Europâ locum, tam diuite conditorio, tam cõcinnâ commodâque in omnem venditionem opportunitate, vt non aberrauerit, qui illum cum Orientis alite, de singularitate famoso, de posteritate monstruoso, qui semetipsum funerans renouat, natali fine decedens atque succedens iterùm Phœnix, contulerit. omnia respondent. vnicus est Europâ, adeoque Orbe toto, locus. seipsum funerat, cùm venditione atria nudat: & tamen, nisi nudet, aut pereant opes, quas ipsum emedullet ignauum sterileque senium, aut non succedat posteritas, nisi locum secuturis priorum secessio faciat duplici fœnore, venditione, emptione; totiesque

totieſque iterato, donec tandem hæc in orbem deceſſio ſucceſſioque dominum locuplete beet ærario.

Poſſem hîc de domo Hanſaticâ: & fors aliquid iure poſcat ſuo: parebo, ſed paucis. Protenditur longitudo in ducentos & octoginta plus minus pedes, latitudo minor eſt. abſoluitur contabulationibus tribus. prior auguſtis laxiſque in omnem partem ſeruit atriis, merciumque cuſtodiæ. reliquæ trecenta complectuntur cubicula, quæ ſingula, ſingulis mercatoribus ſufficiant. rarum hoc: & dubito, an in vllâ gente. turris domui imminet Corinthio opere conſpicua; quæ latè quaquà verſum, quidquid in vrbe, quidquid in vicinis agris, flumineque, læto proſpectu retegit. *Hanſatica domus.*

De Arce verò veſtrâ quid dicam? quid ſimile reliquus oſtentat Orbis? quid Circus Cęſaris, quid Cauea ad hanc Scauri; quid theatrum Curij; quid Labyrinthi portentoſiſſima humani ingenij opera; quid Gnidij turris? quanta procurrentia in mutuum ſubſidium propugnacula? quanti in totius operis tuitionem ſurgentes colles? Quid referam commeatuum, quid apparatus bellici reconditoria? quid reliqua ſiue in ipsâ arce, ſiue extra illam tutoria propugnationis loca, quæ pediti, quæ equiti, quà procurrendo, quà defenſando, ſufficiant? noua in ſingulis miracula qui dixerit, nuſquam aberrauerit. *Arx.*

Aquæ-

Aquæ-ductus, Anthleæ, machina Cteſibica.

VEnio ad Aquæ-ductus, Architectonicæ non vltimam laudem. Magnum omni antiquitate miraculum aquæ-ductus Romani. ſiue quos Q. Marcius Rex, Senatus iuſſu, actis per montes cuniculis, prætoræ ſuæ tempore adduxit; ſiue quos Agrippa in ædilitate, centum & quinque ſalientes, ac ſeptingentos lacus; ſiue quos Cæſar auſpicatus, perfecit Claudius; à lapide nimirum quadrageſimo ad eam excelſitatem, vt in omnes vrbis montes leuarentur fontes: in quod opus erogatum ſeſtertiûm ter millies. at ego neſcio an veſter labor, cùm abſit ab impendio, ingenio cedat: cùm in vnam domum aquam coëgiſtis, quæ exinde in omnes defluat officinas cereuiſiarias; tantumque ſinguli nullo labore admittant, quantum res poſtulat, nuſquam deficiente flumine. nec ingenti hîc morâ opus aut tempore, momento propè cuiuſcumque ſitim explet: neque ſpem fallit mentita copia, aut exareſcit diues vena: quantumque haurias, ſemper ſupereſt; ſemper reperies quod erogando ſufficiat etiam ſitientiſſimis cacabis, nocteque dieque omni, tot locis, tantâ vrbe calentibus, bullientibus, haurientibus: quæ non huic ciuitati tantùm, ſed & vicinis ſufficiat. Quoties aquæductus Romani ſederunt, aut exareſcentibus fontibus elementum nega-

negarunt? quoties ſubito languore populum fruſtrati; quoties plenâ morte ad dura conſilia coëgerunt? At veſter labor, perpetuatura dedit, & quæ tot iam annos nullum non dico ſenium ſentiunt, ſed nec attritionem iuuentæ. perſtant enim pari re dhibitione quâ primâ die: hauriuntque, largiunturque eâdem felicitate; cùm nec quod hauriatur deficiat, nec quod largiatur deſit.

Quid Anthleas referam ingenioſo aquam ſubuectantes ſuctu; dum è terræ viſceribus colatam aquam cribro, modiolus haurit; vectiſque depreſſione in ſublime elatus embolus, aquam ſugit ſequente elemento, ne per inane ſpatium fruſtretur conatus, naturâ vacuum auerſante, inferiore aſſario aditum receptui præbente, ſuperiore verò incumbentis aquæ pondere preſſo: hinc vectis eleuatione dum deprimitur embolus, dum aſſarium infernum, aqua quę in modiolo eſt cluditur, aſſariumque ſupremum loco cedit ne obſiſtat embolo deſcendenti; iterataque vectis depreſſione emboloque elato, quæ ſuperiore ſterat aqua loco, in caſtellum euehitur, ſuperiore depreſſo aſſario; eademque operâ noua ab imo putei aqua exſugitur, locum faciente aſſario inferiore; perpetuo quaſi ſuctu, ſuccedaneâ quà depreſſione quà elatione, indefecta hîc aqua eſt. Neque hæc, quaſi laus iſtæc vna debeatur vobis, Anthleamq; reliquus ignoret Orbis: verùm quòd

Anthleatum vſus & frequentia.

propria laus ſit veſtra, tantam huius paſſim hîc eſſe frequentiam, vt raras vrbe totâ reperias domos, quæ non diuite illius gaudeant vbere, è quo inlatentem aquam terræ, tamquam matrici, pronâ faciliqué quiſquis volet, etiam puer, hauriat manu; cùm reliquorum vrbes Regnorum, vnam aliquam alterámve, tamquam vnum alterúmve enumerẽt miraculum.

Machinæ Cteſibicæ vſus.

Frequens exhinc machina Cteſibica Anthleæ iuncta; vt quam hæc è terrarum intimo exſuxit aquam, illa in eminentiora felici protrudat robore; vnde naturali ſuo delapſa pondere, per inuerſum ſiphonem in ſubiectum deducitur labrum, è cuius medio tranſmeatoria fiſtula in fontem ſalit: ita naturam ars imitata fortunatâ æmulatione quid non audet? quidque adeò non aſſequitur dum imitatur? vt neſcias cui in hac æmulatoriâ pugnâ palmam largiaris: ita quos negauit illa fontes, ars dedit, tam variè ludentes, ſalientes, vt & hîc natos arbitreris: & mireris ingenio naturam ſuperatam; cùm hæc, vno ferè fluxu, hîc diuite, alibi paupere venâ, aquea largiatur dona: ars verò innumeris propè modis: à quâ Nympharum vbera aquâ pro lacte fluunt; & Bacchus aquã pro vino fundit; ſed & capite Satyri, aquam ſudant tamquam à fatigato cerebro: iam & pedes aquam ſpargunt, quaſi reliquo indignentur corpore: nec rarò tamquam de viuâ rupe videas ſalien-

lientes; aut tamquam è Iunoniâ lauatoriâ ſpecu. & excipit omnem hanc aquam marmor varium, hîc candicans, ibi vndatim criſpum, alibi verſicoloribus maculis viridiſque paſſim intercurſu; quin & vermiculatâ ad effigies rerum & animalium cruſtâ fons totus integitur. quem ſi quãdo natura ornatum negauit, pingi patrios videmus lapides, maculaſque his inſeri, aut purpurâ diſtingui; taleſque planè oſtentari, quales deliciæ & admiratio optarent. Hæc veſtra, non quòd laudem ex his ſperetis, ac ne admittatis quidem: ſed neque ego hîc luxuriæ interpres: verùm vt ſciant omnes, & habere vos hæc, in quibus veteres, Mamurra Romanus Eques, qui primus Romæ marmora ſecare, luxuriamque diuidere docuit; M. Lepidus, qui primus è Numidico marmore limina poſuit; L. Lucullus, qui ante omnes è Nilo atrum inuexit marmor, cui & de ſuo nomen dedit; pluresque alij variâ luſerunt oſtentatione; & contemnere tamen, nec laudem ab his velle. quo maior gloria eſt habuiſſe, nec in magno poſuiſſe pretio, nec aliter vſos quàm patrio lapide.

Eſt & aliud in hoc genere quod meritò veteribus componamus. magnis illi ingeniorum contentionibus, tamquam ſæculorum ſuorum miraculum, celebrarunt hortos penſiles; magis etiam oppidum; exercitus armatos ſolitis regibus ſubter educere, maximeque flumine medium

oppidum interfluente. Quæ de Aegyptiis Thebis fabulatos veteres credit Plinius, miraculo rem ſuperante, hoc propè in vrbe veſtrâ videmus. quantæ ſubterlabuntur aquæ, quæ quamuis onerarias nullo ſentiente deuehant? vt & infrà nauigent, & ſuprà perpetuo ponte inambulent hominum millia; quæ nec ſubterlabentia flumina, nec ſentiant naues.

Ingenium, Iudicium.

INgenio plerique bono; iudicio firmo, ſolidoque, & quod moderatione quâdam & innatâ temperie iudices ad Rempublicam natum. Nam illa calentia, & tamquam de cacabo bullientia, Numidicæ, aut Põticæ potiùs pharetræ & iaculis deuoueris. quòd ſi nimiùm etiam erigantur, ſurgantque in immenſum, præcipitio proxima ſunt. Et vt ſegetem nimia ſternit vbertas; & arbores prole ſuâ ruunt; ac perrarò maturitatem attingit nimia fecunditas: ita ingenia immoderata felicitas ſua deſtituit, & trahit in perniciem, in temerarios auſus, in extrema conamina: è quibus plurimùm infortunatiſſimi euentus, dominumque, familiamque, nec rarò Rempublicam vniuerſam, vno impulſu in exitium daturi. Ferè namque magnis ingeniis, magna damnumque datura innaſci videmus vitia: ac vix magnos ex non magnis ingeniis errores prodire. Quid, quòd & ætatem

tem rariùs ferant? diſces ab igne, qui quo fulſit clarior, eo extinguitur citiùs: viuacior eſt qui cum lentâ difficiliq́ue materiâ commiſſus, fumoq́ue demerſus ex ſordido lucet: eadem enim detinet cauſſa quæ malignè alit. Sic ingenia, quæ illuſtriora, breuiora ſunt: nam vbi incremento locus non eſt, vicinus occaſus eſt. & non acumina, quo tenuiore cuſpide, citatiùs franguntur? nam & validiſſima ſi ad vltimum tenuantur, infirma ſunt: ita robur omne tenuitas atterit. Idem in ingeniis reperies, in quibus non tantùm aciem quâ penetrent, ſed & robur exoptamus quo perſiſtant. quod in ſummâ acie, aut numquam, aut perquam rarò, eueniet.

Hanc temperatam aciem, & robore ſubnixam ſuo, hîc inuenies. poteſtq́ue hoc de vniuerſis Belgarum ingeniis affirmari, ad omnes nimirum artes ſcientiaſq́ue à naturâ facta: vt nec ad penetrandum difficilia acies vireſq́ue deſint. cùm Belgica conſtitutio ferè ſanguinea ſit, omnium temperamentorum nobiliſſima. cui cùm accedat aliquid melãcholiæ quaſi terreum, quo quæ impreſſeris tenaciùs adhæreant; choleræ etiam quantum ſatis eſt ad res magnas aut audẽdas, aut finiendas; fit vt Belgica conſtitutio non facilè cuiuis cedat. Neque enim opprimitur phlegmate, vt quorumdam nationum aliarum, ac mulierum vt plurimùm, quo minùs capeſſendis ſcientiis idonea. *Belgarũ ingenia.*

quid enim aquæ impreſſeris, quod non elabatur, aut quod ætatem ferat? Neque melancholiâ fatigatur: quod vbi fit, quid ſperari generoſum poteſt? Nam quis neſciat inter elementa ignobiliſſimam eſſe terram, quæ melancholici humoris viua quædam expreſſio eſt? Sed neque tenuioris ac volatici cuiuſdam ſanguinis copia redundat: quod cùm accidit, in nuſquam ſatis firma aut perennatura conſilia mens agitur: ita videmus aërem ſanguini quodam modo collactaneum, leui vento momentoque in omnem rapi partem, nulloque ſatis ſtabili firmoque loco conſiſtere, ac licet magno, non rarò, in obuerſantia ruat impetu, pari propè quo ruit, frangitur, niſi ſolidioris elementi mixturâ aërea hæc leuitas tẽperetur. Belgas proinde cùm nobiliſſimæ temperaturæ videamus, in quâ, & probatiſſimus ſanguis vitæ principium ac quaſi vehiculum dominetur, & melancholia fluxum illius, innatâ ſibi ſiccitate ſiſtat reprimatque, & cholera animos addat, & permiſtum phlegma, tamquam ſuffuſo frigore calorem temperet, quis de ingenio dubitabit?

Non diffiteor interim cholericum contextum, calidum & ſiccum, ſcientiis accommodatiſſimum, vt in quo, & tenuior materia, & potentior calor, nobiliores potentioresque ſpiritus generat; ac non niſi ſecundum in ſcientiis locum ſanguineo tribui, calido nimirum & humido; tertium melan-

melancholico,frigido &ſicco;quartum phlegmatico,cui hebetatior,minorque quàm in melãcholico calor eſt:omnium tamen ad quas voles ſcientias contextus ac temperies optima eſt, ſi cholera melancholiam habeat ſociam , & ſanguinis plurimum , & phlegmatis modicum ; vt & æſtus tamquam infusâ retundatur frigidâ , & magnam optimorum ſpirituum materiam optimus plurimuſque ſanguis ſuppetat; & ſi quid in hoc fluoris nimium , adnatâ ſibi melancholia ariditate exſuccidet.

Neque ignoro melancholicos & phlegmaticos reperiri , raro diuinoque quodam ingenio , & qui cum reliquis de principatu certent: at hoc euenire neceſſum eſt , è capitis aliâ diuerſaque, à corporis reliquo, temperie, cùm cerebrum , vniuerſaque capitis organa , à cholerico aut ſanguineo obſidentur humore : cui permiſta melancholia, quæ cogitabundæ ac ſollicitæ mentis parens eſt, magna ſolet ingenia promittere. Idem videmus in diſſimili euentu; cùm enim cholerici gracili plurimùm & proceriore ſint corpore , mediocri ſanguinei,exili melancholici,prægrandi phlegmatici: reperies hos exiles , melancholicos ingentes, prout quiſque copioſo diuiteque , aut paupere prognatus ſemine eſt.

Quòd ſi exemplis res firmanda; euocàri in teſtationem omnis retrò poteſt memoria ; illa nos doce-

docebit, vt non dubitem noſtros cum primis Orbe toto ingeniis componere. Nam vt à Poëticâ exordiar, quis poſt Horatium, Lyrico clarior verſu Torrentio; aut dignior monſtrari digito prætereuntium, tamquam alter iam

Romanæ fidicen Lyræ?

Ille mearum aliquando

Grande decus columenq́; rerum.

ille dum fata ſinerent,

——animæ dimidium meæ.

O ſequar! imò cur non vnus dies vtramq; duxit ruinam? nam quæ hæc vita, cùm partem huius animæ & meliorem Parca rapuerit, animã dimidians vnam? quamquam quid queror raptum, qui

Iam Dædaleo ocior Icaro
Viſit gementis littora Boſphori,
Syrteiſq́; Getulas canorus
Ales, Hyperboreoſq́; campos.
Quem Colchus, & qui diſſimulat metum
Marſæ cohortis, Dacus, & vltimi
Norunt Geloni: quem peritus
Diſcit Iber, Rhodaniq́; potor.

Abſint ergo *——inani funere næniæ,*
Luctuſq́; turpes & querimoniæ:

cùm ereptus licet terris, conceſſuſque cælo, monumentum poſt ſe reliquerit Belgis, Orbique quà patet, omni ære perennius,

Regaliq́; ſitu pyramidum altius.

Tranſ-

Transeo ad omniſciâ ſcientiâ magnos; nec in vno, ſed in omni litterario circo gladiatores nobiles. Eraſmum, & Lipſium, & magnum, quem dixi, Torrentium quis ignorat? audeo: quis, quibus componat, nõ in vno aliquo genere, ſed in omni? Quis Goropium Becanum in ſterili fecundum materiâ? In magnis magna potuiſſe quis mirabitur? in pingui fecundum enatum germen ſolo, quis laudabit? at inter teſqua & confragoſa, ſubtracto campo tenuiſſe curſum, aut retuliſſe virentium fructum pratorum, & vndique irrigui ſoli,

—— quantumuis ſuperbo
Materiæ ſatis eſt triumpho.

Iam quanta in vno homine hiſtoriarum, linguarumque, omniumque quæ vbique ſunt ſcientiarum cognitio? quanta in re propè nullâ varietas? tamquam ſi quis in muſcâ, formicâ, aut ape, in ampullâ oleariâ, in orbiculo aut annuli palâ, docto ingentique ludat volumine. Benè Torrentius magna complexus paucis:

Priſcas ſed artes doctus, & ingeni
Prædiues, almæ Palladis in ſinu
Nutritus, Aſcræis ſub antris,
Thrëicio meditata vati,
Et ſacra Moſi tradita, dum pius
Seruas ab alto tamquam Helicen mari,
Das vela ventis, & ſecundo
Peruolitas vada ſalſa curſu.

Quj ſi materiam delegiſſet calamo parem, quantus exurgeret, quantumque dediſſet portentum litterarium? quamquam eo admirabilior, quo, vti dixi, in tam leui areâ, tam arctâ, tam malignâ terrâ, tam inſuetâ reſpondere labori, tantam erexerit molem: vt non immeritò quotquot amant litteras, obſtupeant vnum hominem in tam arenti colle, tam exſuccido ac ardoribus emedullato, tanta protruſiſſe, frondes, flores, germina: mirenturque quotquot legunt, vnum tam numerosâ arte multiſcium, totiugi ſcientiâ magnificum, tot verborũ linguarumque ad originem primumque genus ductorum Dædalum. Scio non defuiſſe qui è litterario puluere admorderent eminus. at quiſquis propiùs inſpexerit, ingentem hîc videbit clypeum, Palladiâ formatum incude,

—— *vnum omnia contra*

tela inuidentium,

—— *ſeptenoſque orbibus orbes*

ſcientiarum implexos. vt non vereatur aut Camilli iacula, aut Turni rupem

—— *vacuum per inane volutam*;

ſed neque aliorum quemquam qui contra ſteterit. Experiatur qui volet, ſi non

—— *in medijs conatibus ægro*

ſuccidant labentque genua, ſi non illum lingua, calamus, notæque alibi deſtituant vires, ſperet ſe aliquid poſſe. Fuerit è quacumque ſpeculà bellator,

tor, emittatque quantiuis roboris haſtam,

Illa volans, humeri ſurgunt quà tegmina ſumma

ſi inciderit, *——atque viam clypei molita per oras*

fuerit, fors *—— magno ſtringet de corpore*

Goropij noſtri: at ſtringet tantùm; vt nihil referat extra Pallantis conatum. Vbi enim omnia ſpeculatus, interminatus fuerit, nihil emittet aliud, quàm optare ſe aliam pugnatori noſtro fuiſſe materiam, tamquam agrum, in quo ſe virtus eruditioque tanta oſtentaret. Plura ſi auſus, maioraque nouus Lauſus imparibus aggreſſus fuerit armis, aliud exſpectet telum penetrabilius ſuo; quod quocumque vallatum aggere, quocumque clypeo tectum, perque omnia *ferri terga, per aris*, perque circumducta ſeptemplicis tauri terga,

—— medium tranſuerberet ictu,
Loricaq; moras & pectus perforet. vnde
Vnâ eademq; viâ ſanguiſq; animuſq; ſequantur.
Et terram hoſtilem moriens petat ore cruento.

Iam Philoſophos ac Theologos, magna nomina, digniſſima nõ moriturâ pennâ, quid referam? Henricum à Gandauo, Baſſolium, Alliacum, Petrum de Bruxellis, Richelium, Briardum, Tapperum, Driedonem, Adrianum Sextum, Pihium, Cunerum, Rithouium, Ianſenium, Lindanum, Caniſium, alioſque innumeros.

Scio in variâ gente magnos, Thomam, Bonauenturam, Ariminenſem, Lombardum, Caietanum,

num,Silueſtrum, Antoninum,Senenſem,Italos: De Rubeone,Victoriam,Sotos,Medinas,Nauarros, Toletum, Fonſecam,Molinam , Hiſpanos: Albertum, Argentinam,Conradum,Germanos: Durandum, Aureolum , Capreolum, à S. Victore,Aluernum, Gerſonem, Vorilionem , Brulefe-rum,Sanctesium,Feuardẽtium,Gallos:DeHales, Mayronem,Occamum,Catonem, Goddam, De Media-villâ , Anglos: Scotũ & Maiorem, Scotos. At ex vnâ gẽte tam varios, quàm ex vnâ Belgicâ, neſcio an educas. ita ad omnem ſci ẽtiam cõpoſiti à naturâ Belgæ . quos inter , nulla , vniuerſim veſtris moderatiora ingeniis, reperies. Fateor,quædam plus habere caloris , ac quaſi ignis ; ſed quæ modeſtiâ aut ſuperarent, aut certarent , nulla in hanc diem vidi . Neque hîc de ignauâ quâdam & phlegmaticis adnatâ , ſed de maturâ & ſanguineis ingenitâ, modicâ melancholiâ temperatâ , conſiliis & imperiis dandis aut accipiendis aptâ modeſtiâ,mihi verba: quam apud vos video. quo vel ſolo nomine beatam hanc Rempublicam meritò dixero. nam vt alij adducant alia, ingens hinc laudum æquor eſt; quod qui enauigauerit , næ ille mihi magnus erit, dignuſque quem omnes

——*carmine perpetuo celebrare, &* cuius
Vndique decerptam fronti præponere oliuam

vnà mecum volentes lubentes adlaborent.

Eru-

Eruditio, litterarum amor.

SCio paucis opuseſſe ad mentem bonam litteris. vbi tamen hæ fuerint, quis ſpernat? via ſunt ad Virtutem. non quòd ſemper ducem ſuum ſequatur miles: quanti in medio puluere, imò in ſupremo, deſertis victricibus aquilis plus pedibus crediderunt quàm ferro? damnabis ducem? damnabis victrices aquilas? damna ignauum militem. Idem cogita de litteris. manu ducunt ad optima, ad coronas. ſequeris? næ tu beatus. contemnis? contempti ſideris pœnas verere. Eſt tamen, fateor, vt ceterarum rerum, ita & litterarum quædam intemperantia. nec tam vitæ, quàm ſcholæ, quàm vanitati, quàm curioſitati diſcimus. Intemperantiam quis probet? numquam illa bona eſt, etiam in re optimâ. atque hoc inter felicitates huius vrbis pono: temperat hunc ardorem, & longiùs manum remouet ab hac vrticâ. Neque tamen omnino caret litteris. quas cùm quidam, alienæ ſemper famæ viperæ, aut abeſſe ab hac longiùs, aut altè hîc ſepultas inclament, operæ pretium fuit illas tangere. ſatis enim, ac nimis diu etiam, per effuſa æmulationum venena, eruditio amorque litterarum veſter maceratus iacuit; eruenda nunc illa, & è tenebricoſo deliteſcentiæ receſſu, euocanda in lucem: ita ſolares radij, per bibulos atomos, in latentem terræ viſceribus aquã

eruentes, produnt arcanum ſilentis elementi. facit idem admirator & laudator calamus; quæ latebant ingenia, obliuione tamquam ſaxei montis oppreſſu ſepulta, dum publicat, redanimat in vitam. Ergo deterſo maleuolentiæ puluere, ori• etiam calamiſque rubigo ſubmouenda; vt videamus an tam litterarum inops, tam eruditionis egens fuerit Reſpublica hæc, vt aut nullos ediderit mater; aut lactauerit nutrix; aut inſertos tamquam arbori bonæ, de opimo trunco protruſerit, velut germina, flores, frondes, ſecundæ iam matris felicem ſobolem; quæ non tantùm ſeris, viciniſque daret nepotibus vmbram, ſed & opulentaret fructibus.

Poſſem enumerare non Phœnices, qui anno quingenteſimo naſcantur, ſed vno ſæculo plurimos. neque tamen omnes ab eruditione, tamquam botrum à grauidâ vite, laudem ſibi aliquam poſteritatique decerpunt. Et quem oblectet par omnium eruditio? non eſt admirationi paritas. varium ſit quod delectet. ſic vbi in eamdem altitudinem tota ſilua ſurrexit, nemo miratur arborem, cuius ſuperbum verticem lambunt nubes. & ferè mediocria, aut in turbam naſcentia, plurima ſunt: eximia ipsâ raritate commendantur. Idem reperies in ingeniis. pauca caput exerunt. & inter hæc pauca, multi in vrbe hac, felici aut vtero, aut vbere illius. neque enim tantùm

tùm matricem terram, ſed & altricem, alteram parentem dicimus: quare vtrorumque laus, vrbis eſt huius. Enumerare hîc poſſem, Sonnios, Torrentios, Aegidios, Seruilios, Læuineios, Becanos, Aialas, Scherzios, Flemingos, Viuianos, Maſios, Del-Riones, Grapheos, Ortelios, Bochios. qui, quamdiu fuerit vllus honos litteris, quamdiu ſteterit, aut Latiæ potentia linguæ, aut Græcæ gratia, cum primis orbe viris magnis comparabuntur. Non attingam viuentes, & in flore adhuc ſuo luxuriantes: nolo enim hunc campum inuidiâ grauidum: & poſſem tamen; hîc nobilem Latialis dictionis purpuram, tamquam *Sarranis ebriam ſuccis*, multa promittentem, multa dantem; ibi cæſuràtim ſuccinctam, nec tam fluxu quàm rebus dictionem amplam, pluſque docentem quàm dicentem, vt in quâ, theſaurorum more, plus opum in receſſu, quàm in ſuperficie oſtentationis. Hanc talem, paucis multa cohibentem, & pectus citiùs quàm paginam implentem, videbis in plurimis: quos ſolâ rerum copiâ diuites, verborum parcos potiùs, quàm opulẽtos, vbere Reſpublica hæc profundit ſinu. Poſſem deinde in omni recenſere litteraturâ magnos. poſſem Euclides menſurâ fortunatos, Chryſippos numeris faciles, Archimedes radio felices, Vitruuios ad perpendiculum factos. poſſem è Rhetorum ſpatiis vernantes Hortenſios, perſuadentes

Tul-

Tullios, vincentes Demosthenes. possem è Poëtarum hortis, tamquam ex Alcinoi pometo, Midæ rosceto, lilia & violas, & rosas, & omnem florem frondemque nobiliorem, Parnassico multorum vertici attexere, non minore iure, quàm Saturnum memorat Pherecydes, Iouem Diodorus, Iunonem Callimachus, Liberum Harpocration, vario auctos coronamine; nec inferiore, quàm ausi veteres, Ariadnen gemmis, Herculem oleastro, Apollinem lauro, Isidem coronare spicâ. Et vt fuerit illorũ de mendacio erubescenda coronæ origo; vestrorum de veritate nullam habet ruboris causſam. quodque supra hæc magis etiam meritò, quisquis est, miretur, in ingenti negotiorum mole, & quam arbitremur inimicam studiis, dum solam quis credat vos Scaldam potare mercimoniis amicam, reperiet totis labris Tyberim ructantes, ac Quirinali plenos fonte, magnâ vbique medullâ sensuum, rarâ verborum spumâ; idque seu liberam, seu ligatam alternare placeat dictionem.

Nolo pluribus. nec si velim, possem tam grandem gemmam tam paruo auro includere. Venient posteri, qui validâ oratione, magna hæc nomina sacrabunt æternitati, nullo liuore, rubore nullo comite. Nunc & hic vetat, & infames ex illo latratus; & verecundia multorum, orisque pudicissima teneritudo; quæ constantiore vultu male

maledicentiæ fella, quàm laudum mella perferret. ergo ſileo, & ſilentio magnitudinem teſtor. addam; & finio; vnam me hanc arbitrari vrbem Europâ totâ, in quâ opès & omniſcia eruditio pari propè inambulant gradu. Felix Reſpublica, quà fortunæ munere, quà ingeniorum fecundâ vbertate. Hac enim, raro mortalibus exemplo, inenodabili nexu iungit, quæ nemo putaſſet poſſe, diuitias, & litterarum ſtudium: docetque, in eodem pectore eruditionem & opes ſtabulare poſſe, contrà quàm plerique arbitrantur; nec ſolam paupertatem eruditam, ſed & doctum aurum reperiri. Et verò paupertas aut opes, nihil addunt adimuntque ſcientiæ: animus eſt, in quo vno omne ſtudiorum momentum. Neque opibus tenaciùs ſemper diues, neque tenuitati ſuæ minùs incubat pauper. vt enim tam moleſtum comatis, quàm caluis, pilos euelli: ita pleriſque pauperibus ac locupletibus euenit; par vtrobique tormentum, ſi quid demas; vtriſque enim pecunia ſua, ingens an tenuis, adhæret. neque argumentum eruditæ mentis ſunt, vt nec bonæ, ſtramenta & nuditas: plerique hæc neceſſitate patiuntur; non malunt, non elegerunt; carere vellent ſi poſſent: ac plus ſæpè opum animo poſſident, quàm qui diuitiis circumfluunt.

Temperantia, in cibo, in potu.

NOn negauero vicinam Germaniam aliquid liberalioris vini in Belgas depluiſſe. ita vicinitas noxia eſt. Fuit, cùm vniuerſim Belgæ neſcirent vinum; nec quiſquam ad potum iret, niſi impellente ſiti; quam, plurimùm, aquâ reſtinguebant. defluxit inde, tamquam ab Alpibus nix vbi incaluerunt iuga, à Germaniâ largior vini vſus; cùm antè, vti dixi, & vinum & vitem ignorarent. Verùm hoc malum temporis malignitas, ſi non penitus ſepeliuit, temperauit, & ad mediocritatem deduxit. Nec erubeſco fateri errorem, quo carere nunc delectat: nemo proficiens erubeſcit. Ac licet ſe remiſerit, qui inualuerat vſus, ac tamquam ſcabies quædam magnam corporis partem tenuerat; nuſquam tamen ſe repreſſit magis, quàm in vrbe hac veſtrâ: teſtes mihi, ſingulorum conſcientia, & qui in vrbe hac exteri. Benè, prudenter. nam ſi intueamur, quales omnes ſimus ante pabulum, & potum, in virgine adhuc ſaliuâ; ſi non multo pollentioris mentis, viuacioris cordis, quàm cùm totum illud domicilium interioris hominis eſcis ſtipatum, vinis inundatum, decoquendis excrementis inæſtuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo nihil tam in propinquo ſuperſit, quàm ad laſciuiam ſapere, mentior. Exulare proinde à veſtris iam mẽſis, omnem hanc

hanc voluntariam, hilaremque insaniam, quam in ebrietate videmus, quis non laudauerit? Intueamur ebrium, eumque, vel in vino suo tamquam capulo sepultum, quid desiderabis præter pollinctorem? vel bacchantem, numquid de furore dubitabis? Iam si sui proditorem, hoc est arcanorum suorum, videris, quid dices? vt enim onerati mero non continent cibum vino redundante, ita nec secretum: quod suum, quodque alienum est, pariter effundunt. Scio inter pocula quosdam tacuisse: noui Tillium Cimbrum, L. Pisonem, Cossum: sed rara hæc exempla, & non nisi sæculo integro, vnum, aut aliud: de iis loquor, quæ plurimùm eueniunt. Latebãt antè vitia, aut simulatione, aut pudore, aut ratione victa: accedit ebrietas; nihil propè arcanum est, emergit quod latebat. Neque enim tam facit ebrietas vitia, quàm prodit. tunc enim libidinosus nec tenebras expectat; tunc impudicus morbum publicat; tunc petulans nusquam manum continet, nusquã linguam maledicus: crescit insolenti superbia, sæuo crudelitas, malignitas liuido: omne demum vitiũ detegitur: resurgitque ante omnia libido, quæ annis sæpè integris iacuerat emortua; aut sanè, quæ languerat, vires resumit, maximè dum propinant vinum vasa adulteriis cælata; tamquam per se parum doceat libidinem temulentia, vt necessum proinde sit vina ex libidine haurire, si lasciuire lubeat.

Cogitemus deinde vniuerſum hominis habitum mero efferueſcentis; dubia, & parum explicata verba, & parte mediâ comeſa; oculos incertos, flammeos; pedes errantes, & quibus

—— *terræ urbeſq; recedunt*;

halitus fœdos, nec cadum tantùm, ſed purulentiam deructantes, & latrinis ſpurciorem ſpiritum; rerũ exinde obliuionem & memoriæ quamdam mortem. Quid ſi ipſum hominem egrediamur, & quæ adiacẽt circumſpectiùs cogitemus; damna & incommoda nata qualia à nullo vitio? quantas ebrietas gentes, quàm validas, hoſtibus tradidit? quanta patefecit propugnacula? quantos ad ferrum ſanguinemq́; impauidos, fregit, & edomuit? ad quæ non pudenda, nec cogitata antè, compulit viros magnos, quis ignorare poteſt, niſi qui Noë, Loth, Sampſonem ignorat? & quæ res alia Antonium; cetera magnum in Romanâ Republicâ, perdidit, & in externos mores & vitia traiecit? quid magnum Macedonem? vixiſſet Clytus, ni maduiſſet Rex mero.

De Deo verò, quid dicam? quis illo tempore recordari Dei poteſt, quo ipſum ſibi hominem excidere ſolenne eſt? Fallor, ſi non Dominus plenitudinem reputat, cùm obliuionem ſui Iſraëli exprobrat: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit:*
Deut. 32. *incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo*. Si incraſſa-

craſſatus oblitus eſt Dei, quid faciet conſepultus mero, & voluntariâ hac morte exutus rationali vitâ, quâ vnâ Deum veneramur? Sapienter itaq; vos omnem hanc animorum peſtem excluditis. conatur irrumpere? obnitimini. & quo honeſtior quiſque, quo apud vos maior, eo ab hac labe remotior.

Non quòd adeò ſeuerè vos velim rigidos, vt conuiuia vniuerſim ignoretis; quibus non tam mero, quàm exporrectâ contubernalium ſermocinatione, hilareſcit animus, & ſe ſupra ſe effert: at Belgicum gelu degelaſcit, tamquam à Solis diuiniore radio, depoſitâ innatâ quâdam ſeuerioris maturitatis conditione. Lælios accepimus, Scipiones & Catones, ſolitos interdum remittere non parum de patriciâ ſeueritate, quam reſumerent, quoties aut neceſſitas aut vſus poſtulaſſet; quamque iterùm remitterent, quoties luberet, in laxamentum internæ contentionis. Facitis hoc vos, neque tam ſordidè Euclionum more, apud quos panis ſiccus, & ſine mensâ prandium, poſt quod non lauantur manus; neque tam ſplendidè ad Aeſopi patinam, in quam videas coactos in vnum omnium ſapores; neque tam tenuiter è Stoicorum diſciplinâ; neque tam moderatè è Fabriciorum foculo: ſed mediâ viâ infima ſummis miſcentes, ac ad benè viuendi temperiem, extrema hæc, rigorem & profuſionem, deducentes: vt

& amicis non ſemper oſtia pandantur, non ſemper claudantur; tempori & beneuolentiæ, mores vitamque attemperantes. Venit etiam hoc à Stoicorum ſcholâ, qui in exultationem libertatemq; extrahi aliquando volunt animum, triſti pauliſper ſemotâ ſobrietate; ita tamen, vt cùm menſa amicum exceperit, Zenonem, Tuberonem, aut Attilium aliquem aſſediſſe ſentiat: ſurgaturque è conuiuio ad negotia, & conſilia etiam de Republicâ danda. hoc eſt Stoicè conuiuari, cùm nihil de prudentiâ, de futurorum proſpicientiâ, de præteritorum memoriâ detraxeris: cùm è menſâ ſurgis ad priuata, aut publica adminiſtranda: cùm denique ſi quando exorta ſit hilaritas alienâ cauſsâ longiùs producta, citra tamen ebrietatem illa peragitur. Non hoc eſt cum Senecâ & Metrodoro de temperantiâ certare? Nullus apud vos Hortenſius, qui ſuper decem millia cadûm heredi Alcibiadi, Diotimo, Xenarcho, Heraclidi, Nouellio, Torquato, aut Parthorum alicui, tanto plus ſitienti, quanto plus biberit, relinquat: nullus Nomentanus in menſâ, recognoſcens omnium gentium animalia: nullus Apicius qui veneno vitam finiat, cùm ſeſtertio centies viuendum ſibi recognouerit, poſtquam ſeſtertiûm millies in culinam coniecerit: nullus Æſopus, in cuius patinâ fiat, quod fieri debebat in ventre. nuſquam hîc cibus rediturus, quà intrauerat: nuſquam vinum remetiendum,

quà

quà venerat. nemo æſtiuam niuem nouit, ſolatium ſtomachi æſtuantis: nemo ab vltimis euocata terrarum, aut à poſtremi maris ignoto littore, in erectionem ſtomachi labantis: nemo piſciuni ſaniem, ſalsâ tabe præcordia vrentem, aut ſimilia luxuriæ portenta. Infelicis illa incontinentiæ tormenta ſunt, diſcere ab his quemadmodum non impleas ventrem, ſed farcias; quemadmodum ſedatam ſitim reuoces, quaſi non in aliud, quàm ad perdenda ſis vina genitus, & tamquam hæc effundi non poſſint, niſi per humanum corpus. Miſeri, qui non intelligunt maiorem ſe famem habere quàm ventrem. At vobis cibus eſt, nullâ arte corruptus, nullis condituris ad irritandam famem digeſtus: ex hoc nulla laterum concuſſio, nulla dentium; nullus neruorum tremor, aut in incertum labantes pedes; nulla ſuffuſio luridæ bilis; non vultus decolor, non neruorum ſine ſenſu iacentium torpor; nulla oculorum ſtomachiſque ſupplicia: non genæ pendulæ, non oculorum vlcera; non tremulæ manus, effundentes plena vaſa; non furiales ſomni & inquies nocturna, cuius non ſemel præmium libido portentoſa, & immane nefas.

Caſtitas.

VXorem quiſque ſuam ſibi iungit, in eâ poſteritatem amat: reliqua laſciuiæ genera igno-

ignorat, & monſtra arbitratur, non delicta. De matronali pudicitiâ nihil dico, adeò eas ad modeſtiam natura fecit, educatio perfecit, vt nulla in iis ætas periclitetur. Intuere vultus: videbis facies frugi, & diuinæ condignas diſciplinæ; vt arbitreris numquam viro iunctas: pleraſque etiam nec viro credas notas, ita perpetua illis adhæret comes verecundia; vt etiam multorum filiorum matribus rubor ſuboriatur, ſi quis importunior inconcinnius verbum iniecerit. putes in perpetuâ apud eas ſtatione ruborem ſtare, verecundiæ ſignum, caſtimoniæ præambulam certamque teſtationem. Iam virgines vbi ſe intelligere cœperint, & pati nouum alterius ætatis, tam validè ingenuo pudore armantur, tantâ parciſſimorum verborum circumſcriptione, vt nihil deſideres ad omnem verecundiæ murum, tam ſeria deinde oculorum,

Et caſtigatæ collecta modeſtia frontis

eſt, vt omnes Arabiæ virgines (quæ dimidiam contentæ lucem frui, ne totam proſtituant faciem, vultum tegunt) vincant, ſi vir acceſſerit: quem nullo oculo vident; tam firmâ vtrumque cuſtodiâ ſepſerunt. Curioſior hîc fortè quiſquam virginum harum caſtimoniam propiùs volet dinoſcere: dabo quæ manibus tangi poſſint, ſolidæ continentiæ præambula indicia.

Primum. Lauda. erubeſcent. ſignum hoc pudoris

doris eſt & virginei pectoris conteſtatio: ſemper enim virginem laudando, magis quàm vituperando, confuderis: durior namque delicti frons eſt, ab ipſo delicto impudentiam docta.

II. Intuere. timebunt. timor verecundiæ comes eſt, pudicitiæ cuſtos, ſalutis fundamentum; præſumptio impedimentum timoris. Et quid timebunt? hinc intuentis oculum, inde Deum: ibi fallaciæ obtutum, hîc cenſorium Dei lumen. Sed & curioſiori illi inſpectori metuunt, edoctæ, virgineam formam gladium fieri viro; quare & huic parcunt, ſalutis illius prouidæ.

III. Loquere. reſpondebunt parcè. loquacitas pudori inimica eſt: deuehit enim illa curioſitatem libidinum vehiculum. Quin & prudentiam hinc diſces: lacinioſus namque ſermo oneroſus & vanus; compendium ſermonis, ferè grauidum prudentiâ eſt.

IV. Familiaritatem venare. fugient. gaudent domeſticis ſolis notæ; doctæ virginem publicatione ſui periclitari, dum percutitur oculis incertis & multis; & ſi quando innotuerint, gradum retrahunt: ſolitudo, pudicitiæ tutamen eſt. Si quas tamẽ neceſſitas cogat in publicum, à matris latere non videbis ſeiunctas: hoc latus, vallum pudori ſuo ſtruunt, & circumdant verecundiæ ſuæ murum.

V. Licentior aliquis, euigorantia quædam, &

insueta illi ætati verba proferat, repercutient sæuiore aspectu, aut cum athletâ Cleomacho subtrahent se ab impuro hoc ore, cùm etiam carere velint aurium maculâ.

VI. Quòd si etiam quorumdam vsque ad tentandum prorumpit improbitas, fluunt verecũdiæ lacrymæ, tamquã si peccassent, quòd alteri placuissent. Felices lacrymæ! dignæ pudicitiæ fontibus. Ex harum numero de æternâ virginitate censentur plurimæ; nubere nesciunt, nisi quòd virginitatem suam Christo nubãt; illi maturitatem suam sponsent, in illiusque voluntatem totæ concedãt: huic pigmentantur probitatis & castimonię purpurâ; summamque voluptatem in voluptatum fastidio ponunt, summam gloriã in inattaminatâ carne, in inexornato ac propè naufrago corpore. Claudo hanc periodum, & audaci verbo, sed vero. Exurge Veritas, & quasi de patientiâ erumpe. Annis quibus hîc sum viginti in vrbe hac magnâ, non indiligens morum obseruator, nullam inaudisse me virginem honesto loco natam, oblitam eò sui, vt in cuiusquam voluntatem ante matrimonium concesserit. Rarum exemplum; & quod in multis vrbibus vix de annuâ obseruatione affirmaueris, ego de annis viginti. Neque hæc ita tamen accipi velim, quasi in vrbe hac tantâ, populique prodigiosâ frequentiâ, nullæ pudoris oblitæ sint sui; sed quòd hæ tales ex infimâ ferè plebe:

plebe: quæ non tam pudicitiæ, quàm egeſtatis pertæſæ, verecundæ inopiæ opulentam inuerecundiam prætulerunt; aut diro promiſſorio maritalis thalami verbo, in alterius viri imperium conceſſerunt.

Liberalitas.

LIberalitas omnis aliquid habet diuini. Intuere cælum, terram, reliqua vtriuſque ambitu cincta; tot arbuſta non vno fœnore paritura, tot flores non vno ſucco ſalutares, tot herbas non vni morbo medicabiles; tot fortuita alimenta terræ, tanto ciborum digeſtu, non ad ſatietatem modò, ſed ad delicias enaſcentia; iam animalia, terrea, aquana, aëria; quaſi omne elementum tributum pendat homini: fontes deinde & flumina, anhela æſtuantiaque paſcua rigantia, ignaueſcenteſque campos, tamquam ſterileſcentes matrices, pingui rore fecundantia; mutuiſque commerciis viam ſternentia, quaſi his ductoribus ſingulæ Prouinciæ, ſingulorum etiam ab vltimo orbe regnorum opes habeant vernaculas: è quibus quædam ſtatis diebus horiſque incrementa accipiunt, patiuntur decrementa, quaſi conuehendis auehendiſque rebus nata. Quid referam maria, hîc tortuoſis in oblectationem erroribus ludentia, ibi relabentia, ac veſtigia in ſe ſua ſorbentia; ſed & toto deuehentia dorſo, non iam robora, ſed ingentia

gentia nemora, humanarum ſubſidium egeſtatum? Quid dicam de medicatorum torrentium venis? quid de aquarum calentium balneis? quid de auri, argentiſque, æris, plumbi, ferri, omniumq; defoſsâ terræ metallorum opulentiâ? quid de Solis & Lunæ circuitu vicibus ſuis temperato, vt & prioris calore corpora foueantur, terra fecundetur, luxuriantia imbribus paſcua deaqueſcant, hiemis aſperitas molleſcat; huius verò tepore frugum maturitas rigetur, incrementis adoleſcat, totaque adeò natura rerum, hac quaſi duce robori coaduleſcat ſuo? Reliqua verò quid referã; vt Solis ſplẽdore impleatur, vt noctium tenebras temperet, vt humano ſolatio ſpecula, quæ menſtruus attriuerat numerus, redornet? Quæ omnia, cui? cui quæ videmus, ſi nõ in vnius eunt obſequium hominis? cui hiemes & æſtates, verna & autumna, cùm ſuis vicibus reuoluuntur? aut cui alteri quidquid hîc natum ancillatur? cui arboribus inoculantur frutices, formantur folia, inflantur germina, inornantur flores, condiuntur ſucci; & cui rurſus veſtiuntur poſt ſpolia? cui

——pampineo grauidus autumno
Floret ager; ſpumat plenis vindemia labris?

cui alteri ſemina corrupta, & diſſoluta ſurgunt fœnore interitu? cui ſepultum ſine veſte granum, nudum, ſolitarium, ſurgit ariſtâ munitum, fundatum ſpicâ, erectum culmo, copiâ fœneratum?

omnia

omnia denique, quocumque te flexeris, non vni videas famulantia homini, ac quasi vni illi sacramento obstricta? Te ipsum intuere. quid extra te Dei munificentiam quæris? vide carnem, perpetuo sanguine sociatam, ne deesset, in defluentem ex non vnâ caussâ, necessariam recorporationem; ossibus tamquam columnis saxisque firmatam, neruis tamquam calce coagmentatam , venis tamquam trabibus tignisque implexam, musculis tamquam anchoris roboratam : colore exinde tamquã pigmento venustatam, capillo tamquam tecto decoratam : iam medullarum in abdito congeriem, quæ plus habet emolumenti quàm ostentationis, plus fructus quàm elegantiæ, an non thesauros abitraberis , & exclames : Deus hæc fecit;

Namque erit ille mihi Deus, illius aram

supplice colam non vno voto & dono? veniunt enim hæc omnia à Deo: & veniunt prouocatoriâ quâdam munificentiâ; vt cùm ille pleno munera profundat sinu, veriùs , totis immittat Oceani ostiis, nos non dicam pars quædam, sed animationis spirationisque Diuinæ illius ac figulationis opus non ignobile, & quædam quasi decidua portio, pleno quæ accepimus egentes sinu, plenâ largiamur manu; nec tamquam è stillicidio guttam, cũ totis canalibus è grauidâ depluerit nube dona sua Deus in emarcidos sterilesque campos

Sed remotæ ſunt diuinæ ſponſiones, & vitæ non huius. falleris. audi loquentem. accipiet *centies tantum, nunc in tempore hoc, & in ſæculo futuro vitam æternam.* Repeto. credis? ſequere. nam quod hoc fœnus? Si ſpondeat homo viginti, ſi triginta, in ſingulos, aureos cẽtum, ſupra ſortem, arripis vtrâque manu; nec dubitas de euentu, ſi fide ille ſit integrâ. Si ſpondet Deus non viginti, non triginta, ſed in ſingulos aureos centum, hæres, trepidas, non credis. nam ſi crederes, negligeres lucrum? & decem millibus, centum millia mercari nolles? nolles tantillo cælum? Cùm ergo habeamus hîc Deum ſponſorem, qui mentiri, qui fallere neſciat, & habeamus hominem qui inuitantem, pollicentem non ſequatur Deum, habemus incredulum, habemus addubitantem de Dei ſponſione: ſequeretur enim ſi crederet, ſi nullo pulſaretur dubio; nec permitteret hæc lucra aut perire ſibi, aut aliò demigrare. quod dum facit, certum mihi non credere, & labaſcere apud eum fidem promiſſionis diuinæ. *Mar. 10.*

At vos prudentiores, & de diuinâ certiores ſponſione, imitari largam illius manum conati eſtis, felici auſu, ſucceſſu feliciore. Cùm enim in omni Republicâ, ante-prouidâ Dei notione, ad peccatorum ſcelerumq; diſpunctionem, pauperes diuitibus permiſti; & his proſpexerit Deus diuite manu; illis prouidere veſtrum arbitrati eſtis.

feci-

feciſtis. Octo ergo vniuerſo apud vos paupẽrum ærario præſunt. priores quatuor ab eleëmoſynarum erogatione nomen ſortiti, poſteriores à Spiritus ſancti beneficâ largitione. anniſque ſingulis duo è ciuium potentiſſimis, planeque primis, opibus, induſtriâ, fide, moribus, deliguntur, qui oneris, quod in re tantâ, tam variâ occurrit, partem ferant, abeuntibus hoc quaſi magiſtratu retroſioribus duobus, qui quartum iam annum expleuerunt. Delectorum munus eſt, toto quo hanc functionem obeunt quadriennio, ſeriam pauperum totâ vrbe diſpertitorum curam gerere; nec pati quemquam ab egeſtate vinci, aut immori huic ineluctabili plurimùm malo. Sed & perpetuâ lege tenentur, nulli petenti eleëmoſynam negare, nullum indonatum dimittere, ciuis ille ſit an alius. Quod quo faciliùs certiuſque peragant, vrbe totâ oſtiatim templatimque ſubſidia pauperum ærario poſcunt. Rarum hoc in primis viris, & opulentiâ magnis, manum ad ſtipem porrigere. quam ſi liberalem cõſequuti fuerint, pari liberalitate partiuntur: ſin minùs, non ideò contractior dextera eſt. de ſuo numerant. adeoque hæc res creſcit, vt non rarò, decem, duodecim, plura etiam aureorum millia è domeſtico ſinguli ærario profundant, redhabituri, ſi eleëmoſynæ patiantur, ſi egentium penuria: ſin minùs, qui in proximum ſurrogantur annum, abeuntibus de ſuo numerant

rant, quidquid in egentes, priuato ære contulerunt: itque in annuum orbem hæc erogatio & redhibitio; tangitque quotquot ad hoc munus deliguntur.

Vt verò primùm adlecti sunt, solenni receptoque maiorum ritu iureiurando se obstringunt, bonâ se fide pauperum res curaturos, seriò inuigilaturos, remque omnem sine fraude & dolo administraturos. Inde qui prior se obstrinxit, deligit alterutram ciuitatis partem, quæ in duas propè pares dispertita est; secunda alteri concessa. His deinde incumbit eleëmosynarum in suis singulis partibus corrogatio, annique secundi administratoribus ope & consilio adesse, collectamque pecuniam ad pauperum ærarium deferre.

Annum priorem vbi expleuerint, transeunt ad anni secundi munia: qualia ferè sunt, primi quidem, si quæ testamento legata, si quæ gratuita, ac quasi de manu, donatione, si quæ vicatim templatimque relata, vniuersim potiùs quàm singulatim, in acceptorum rationes referre; singulatim verò in easdem, si quæ ex annuo censu redacta: frumenti deinde, lignorum, panni lanei, lineique, omniumque adeò quæ egestas poscit curam gerere. Secundi verò, Expositiis seriò inuigilare. quos salutari antè aquâ tinctos, educandos in vicinam mittit Campiniam. Mille ferè hi sunt, & plures; millia etiam interdum, non vrbis tantùm hu-

ius, ſed vicinorum locorum: qui vbi octauum, ſummùm decimum attigerint annum, educti è ruſticâ diſciplinâ, vrbicis aſſueſcunt moribus. ac puellæ quidem in deſignatam in hanc rem domum, pueri in ſuam; ita ſua ſexui domus ſeruit. in quibus Chriſtianè educantur, & mechanicæ alicui arti, pro cuiuſque ingenio, addicuntur: hærentque plurimùm in his ædibus, in decimum ſeptimum, aut ætatis annum decimum octauum. inde ad varia deſtinantur obſequia: illæ quidem omnem puellarem artem edoctæ, ancillatum, in honeſtam quampiam familiam: adoleſcentes vt aut de ſuo iam viuant, aut ſanè famulatum. manentque ſub eorum cura qui huic pauperum annuatim præſunt ærario, donec certo vitæ generi, bonâ patrum quos vocant veniâ, ſeſe addixerint. quorum ſi voluntate matrimonio ſe iunxerint, non patiuntur deeſſe dotem.

Sub exitum verò anni ſecundi, quotquot certis ædibus in commune, quotquot etiam per ſuas ſinguli diſperſi familias de publico viuunt, veſtibus donantur. & ingens hic numerus eſt, vt præter priores qui plurimi ſunt, excreſcat in octingentas aut plures familias.

Expletis annis duobus, nouus ſuccedit labor. & prior quidem in cathedrali Eccleſiâ, panibus hebdomadatim erogandis præeſt. cuius etiam curæ pars ſunt, euocati ex agris (quorum meminimus

mus) pueri, variaque egentium mulierum ac virorum receptacula, in quibus certis legibus, certaque in ſeptimanas ſingulas eleëmoſynâ contubernatim viuunt. Secundus idem per omnia obit in S. VValburgis, puellarumque (quarum mentionem feci) ſedulam curam gerit. Poſteriore anno, prior eadem peragit in Eccleſiâ D. Iacobi, ſecundus in eâ quæ D. Georgio dicata eſt.

In hac poſteriorum annorum adminiſtratione, ea in deſignatos variarum Eccleſiarum pauperes conferuntur, quæ varij, prout cuiuſque affectus traxit, variis Eccleſiis aut locis voluerunt eſſe perpetua. quibus à ſancto Spiritu nomen indiderunt. cùm enim omnis munificentia ab illius impulſu naſcatur, factum eſt, vt eos qui erogandis his præſunt, nominis quâdam ſimilitudine honeſtauerint, quos volebant tam pij donatiui erogarores.

Hactenus labor eluxit, & prudentiæ permixta liberalitas. accipite hanc nunc propiùs, ſed paucis: neque enim, de ſuo ornata, alienum cultum patitur. Corraſerunt priores quatuor, quà oſtiatim, quà templatim, ſuperioribus his annis ſingulis, florenorum ſexaginta, quin & ſeptuaginta, adeoque octoginta, pluraque etiam florenorum millia. Quid integrâ Republicâ ſperari poſſet, cú hac proſtratâ, & quadraginta annorum ciuilium bellorum colliſionibus attritâ, populoque parte maximâ viduatâ, negotiatoribus deſtitutâ, com-

merciis nudatâ, nobilitate exhauſtâ, ingentia tamen videamus propenſæ in omnem munificentiam affectus documenta, in omnem meritò poſteritatem, Regnaque, quà Sol lucet, itura.

Addam: & finio hanc narrationem: eſſe in hac vrbe tria & triginta minimùm egentium domicilia, variorum liberalitate ciuium dotata. è quibus viginti quinque, eorum quos recenſui, impetrio parent: aliorum verò quorumdam, reliqua.

Quæ dicta hactenus, tantùm tangunt liberalitatem in notos vrbe totâ pauperes, & qui de communi pauperum ærario non erubeſcunt, menſtrua, aut hebdomadaria, aut diurna etiam ſubſidia poſcere. quales parte longè maximâ ſunt, qui è vicinis, aut remotis etiam prouinciis, à paupertate, tamquam ab irato mari, in portum hunc excuſſi. nam qui hîc nati maioribus vrbis huius ciuibus, perquam rarò ad hanc publicam inopiæ teſtationem deſcendunt. Ita ferè Brabanti omnes. à quibus, vitam antè egeſtas, quàm egeſtatis nomen & confeſſionem extorſerit. extrema pati, pane & aquâ vitam tolerare, noctes diebus in laboribus iungere, viri iuxtà ac mulieres, & tenera propè de ſinu proles, edocti. Vidimus ſæpè inualetudine graui fractos, animam quaſi egeſtatis indignantem, antè eiicere, quàm mendicabulam vocem: tam rigida illis ad ſtipem dextera, tam fortis ad perferenda animus, tam gene-

generoſum pectus, & quod antè ſanguine ſe ſatiet ſuo, quàm alienâ miſericordiâ. Plerique proinde qui hîc pauperes, aut è vicinis Prouinciis ad benignius hoc littus adnauigarunt; aut ſi hîc nati, talibus maioribus nati; è quibus, imbibitâ longo vſu ſoli huius verecundiâ animoque, plurimi viuunt teneriore ſupra maiores fronte: quicùm rem poſſideant, & duriore reliquis premantur pauperie, paupertatis nomen perhorreſcant. Magna hîc horum copia, quorum frequenter erubeſcentiam vltroneâ beneficentiâ anteuertiſtis. ita non tantùm egeſtati, ſed & infirmitati occurritis; & interdum etiam fallere iuuat, vt & habeat egens, nec à quo acceperit ſciat: pulchro Arceſilai exemplo, qui egentis & diſſimulantis & ægri puluino ſacculum ſubiecit, vt homo verecundus inueniret potiùs quàm acciperet. Hoc eſt dare. nam illa lenta, & inter diuites manus pendentia beneficia, cùm ſubductis ſuperciliis, & vix exeuntibus verbis, ac malignis etiam interdum, munus datur, quam gratiam mereantur? Illa grata ſunt, & nomẽ merentur, quæ parata, quæ facilè occurrentia, & vbi nulla mora niſi ab accipientis verecundiâ. nam vbi magna intercedit deliberatio; negationi munificentia proxima eſt: adeoque, tardè velle, nolentis eſt; cùm omnis benignitas, ſi talis eſt, properet. Vt enim acerbiſſima crudelitas eſt, quæ trahit pœnam; & miſericordiæ genus

eſt,citò occidere: ita maior beneficij gratia eſt, citò velle,citò dare;& beneficentiæ quoddam genus,citò negare. Iam hæc tarda quorumdam in dando deliberatio quid quærit? delectum fors in accipiente, vt diſpiciat in quem cum fructu conferat,aut in memorem,aut in relaturum. at magni animi eſt, non fructum beneficij ſequi, ſed ipſum; virtutemque adamare, ob innatam, non ob aſcititiam pulcritudinem: & generoſi, dati beneficij obliuiſci: ille decipi dignus eſt, qui de recipiendo cogitabat cùm daret. Sed indignus fortè erit cui præproperè donabis. quàm multi indigni ſunt luce,& tamẽ dies oritur, peræquante Deo beneficia ſua probis & improbis. non quòd ſine delectu ac fortuitò dari velim; ſed moroſam donatiui cunctationem non probo. adimit gratiæ plurimum,& extortam potiùs volũtatem, quàm vltroneam ſapit. Quid hæres? redibit ad te, ne dubita,quodcumque hilari promptoque exiit animo. Docuerunt id veteres non ineleganti ſymbolo: cùm tres Gratias, ſorores, manibus implexis, ridentes, iuuenes, virgines, ſolutâ & pellucidâ pinxerunt veſte. Sorores. vt enim hæ ſanguinis, ita qui dedit & accepit,beneficij nexu ac quâdam vinculatione ſororium induant animum; & qui dedit, ſibi dediſſe arbitretur. Manibus implexis. quòd beneficiorum ordo, per manum tranſeuntis, ad dantem tamen reuertatur. Ridentes.

vt

vt dantis vultus longissimè abomni absit morositate. Iuuenes. vt cùm deceat beneficij memoriam senescere, dantem tamen obliuiscideceat; nec pati vt longâ apud se memoriâ consenescat. Pellucidâ veste. vt licet qui dat beneficia taceat, naturâ tamen se suâ prodant, erumpantque foras eo clariùs,& in oculis plurium,quo qui dedit fortiori illa presstt custodiâ. Qui si secum reputet, beatissimum esse, ac planè regium, imò Deo simillimum numquam vinci beneficiis; & illud, in beneficiis optimum esse,dedisse;beneficium arbitrabitur posse dare. & tunc demum se beatum, cùm aliquid dederit; cùm imitatus Deum fuerit, qui semper dat,numquam accipit. Sunt ex hoc genere in hac Republicâ non pauci, qui in beneficiis hoc vnum metuunt, prodi. Beati suo hoc silentio, non prementur æterno. & vt aliam non sperent mercedem, virtus ipsa magna sibi merces est, & recti facti conscientia. Et sanè magnus in hac vrbe campus est, magnæ virtutis; in quâ, vti dixi, ingens pauperum numerus est, à variâ egestatis tamquam fluctuum iactatione ad hunc portum properantium. nec fallit eos concepta spes: vetus enim apud vos, & à maiorum memoriâ,

Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos
Vrbe,domo sociare:

nullum hospitio prohibere arenæ, soliqué vestri:

nullum

nullum quamuis egentem arcere terrâ. Pergite. Manet cælo promiſſa merces;

—— officio nec vos certaſſe priores
Pœniteat,

cùm tam potentem remuneratotem, vltroneumque ſponſorem habeatis Deum, ignarum mẽtiri, dolique fraudiſque neſcium, centupli hîc redhibitorem, nec multo pòſt æternæ præmiationis certum largitorem.

Sermo. Fides in verbis.

SErmo candidus. & ad exemplar orationis ſuæ facere, & viuere, à primâ ætate docentur omnes. parci in verbis: nec ideò minus cogitant, edocti magnos viros remiſſiùs loqui; & quæcumque dicunt, plus habere fiduciæ quàm oſtentationis. Et eſt ſanè oratio, animi vultus; quę ſi multa eſt, & manufacta, oſtendit illum non ſatis eſſe ſuum, non ſincerum; & habere aliquid fracti. Non eſt ornamentum virile, vt concinnitas, ſic multiloquentia. Nihil proinde in veſtris præceps. quod ſemel emiſſum, numquam reuoces. vt enim in procliue labentes, non vbi voluerint gradum ſiſtunt; ſed quantum premit pondus, tantum feruntur: ſic prærupta dicẽdi celeritas, non eſt in poteſtate hominis; nec ſatis digna viro: qui ponere verba debet, non proiicere; ac inſtar vndæ ſuauiter, non torrentis more è præcipitio fluere. nihil

etiam

etiam præproperum, cuius poſteà pœniteat: ſed præcogitata verba ſunt; & tamquam à maturo corde, calamo dictata. vbi dixerint, ſtat immota fides. Periclitantur opes? ſi fidem dederunt, nemo violabit: ita vel cum iacturâ, tenaciſſimæ fidei ſunt; vt cùm mori poſſint, fallere non poſſint. Nec quiſquam, integrâ famâ, datam fidem fallet. ſi fefellerit, nominis & fidei naufragium fecit. nec iam inter dignos Republicâ viros adnumeratur: mortuum arbitreris, & tamquam cadauer abiratis fluctibus reiectum; aut tamquam fatali ſpongiâ è viuorum numero deletum. viuitque exinde ingloriius in omnem ætatem, & tranſit etiam in poſteros hæc nota.

Animi robur.

RObur animi, quale vix in aliâ gente; diſcat quiſquis volet exemplo: neque enim aliter norit. nam fortia dicere multorum, facere paucorum eſt. neque vt quiſque robuſtior ſermone, ita & opere eſt: cùm ferè modeſtiſſimus, & verborum parciſſimus, ditiſſimus ſit operis. vt enim Gubernatoris artem non oſtendit tranquillum mare; exaſperatum ſit oportet, & quod in montes ſe attollat, frendeatque, frematque ſpumis inæſtuans, quod virum edoceat: ita aduerſum aliquid ſit neceſſum eſt, quod animum probet. Hunc animum inuictum, & in quo nullum for-

tuna locum reperiat, in quem telum mittat, ſi vſquam, hîc inueniet. Incurrant aduerſa, & premant pectus, tamquam ſaxeâ mole, vt totum arbitreris Atlantem, cum vniuerſi machinâ, vnius inſediſſe humeris; figet gradum, nec ingemiſcet ſub pondere: non ſubſident genua, non lababunt pedes: & quod de Socrate Xantippe, vtramque fortunam eodem vultu excipiet. hauſerint auari fluctus humanarum opum æmuli, aut acerbior alius caſus, ſtabit indignante fortunâ; nullâ enim re maior huic inuidia fit, quàm æquo animo. Hunc animum, in omni propè bonorum iacturâ, reperies erectum, excelſum, & flecti neſcium. Intuere: è nullius vultu aut ore iacturam agnoſces. imò quo grauior illa incubuit, eo hilariore vultu excepiſſe credas. nec foro nec publico abſtinent, ac ne conuiuiis quidem aut hilariore lubentiâ. Non hæc ſat magna documenta ſunt inuicti roboris? nam vnde certiora peti poſſunt? aduerſa ſunt quæ cuiuſque robur docent. hoc quis inter ſecunda intelliget? Gubernatorem in tempeſtate, in acie militem dinoſcimus. interritus ille fluctibus conuoluitur, audacter hic cruorem ſuum ſpectat: ille etiam elementum prouocat, dum iratos illius fluctus proſcindit audax; & miles lætus fluentem meliore caſu ſanguinem oſtentat. at tiro, & qui nullas elementi vidit minas, ad omnes fluctus, ad vulneris palleſcit ſuſpicionem. Quò

hæc?

hæc? vt robora attingam, animoſq́ue plurimorum veſtrûm. Sæpiùs enim tacitus mecum Rempublicam circumſpexi hanc vniuerſam, in illaq́ue ſingulos, omnes. Quantos in eâ vidi naufragos, ſimiliáve naufragiis paſſos; quos aut iratum mare, aut fortunæ ludus, aut maleuolentiæ improbitas, perniciosſum optimis telum, inopinantes, ſecuroſq́ue deiecit? Illos procella, (quæ cæli fiducia, & placidum ludentis elementi fallacia) traxit in infidos fluctus: alios rerum illa domina, aut ſubiti ſimilis fulminis, ad cuius ictum, etiam vicina tremuerunt, oppreſſit incautos; aut ridenti ſimilis, in alieno luſit iugulo; tamquam parum ſit perdidiſſe, niſi & inter luſum videri velit perdidiſſe: in poſtremis malignitas ſæuiit, & ſecuros, tamquam turbine, vno conuoluit raptu; vt antè ruinam ipſi ſtrati viderent, quàm perſentiſcerent: & tamen tamquam nihil paſſi, redeunt ad mare; & è quo vix validâ enatarunt claſſe, de tabulâ ſalutem ſperant: iterumq́ue fortunæ ceruices flectunt, confidentiam imbibunt, & audent ſe credere, à quibus non ſemel circumuenti; meliora ſperantes, nec ſemper iratum mare, nec ſemper infidum fortunę riſum, nec ſemper perfidiã amici. O animos Spartâ dignos! imò Belgio: & ſi iterùm ſurgat Cæſar, Neruiis, & Aduaticis. *Macti virtute hac:* idem vobis, quod ex acie ſanguinolentis acclamo; quod Mutio retorridam manum, & duorum Regum

victricem referenti, Romana iuuentus. *Macti virtute hac.* malo truncam illam, quàm Mæcenatis, imò quàm cuiuſque fortiſſimi ſaluam. Benè in hanc rem Attalus Stoicus: Malo me fortuna in caſtris ſuis, quàm in deliciis habeat. torqueor, ſed fortiter, benè eſt: occidor, ſed fortiter, benè eſt. Sed & audi Epicurum, dicet, Et dulce eſt. Hæc mens ducet ad gloriam, imò ad gloriæ culmẽ, cultorem ſuum. Facit hoc creber vſus, & cum aduerſis pugna. Idem reperies in iumentis. quamlibet viam patiuntur, quorum durata inter aſpera vngula eſt: neque vllum laborem recuſant manus quæ ad arma ab aratro transferuntur. ita planè, quem nulla fortuna ſupplantauit, cuius nulli dentes ſub infido illius crepuerunt ludo, quid poterit? & quid non poterit, cui perpetua cum illâ lucta? qui modò proſtratus, modò erectus, de genu, de puluere, de vulnere, de ſanguine ſurrexit validior? Millia ex hoc genere in hac vrbe dabo. nam quem illa hîc vmquam tranſiit intactum? gloria hæc eſt Reipublicæ veſtræ, & ferè contumaciſſima aggreditur; mollia nullo dignatur morſu: ita ignauiſſimum quemque refugit, fortiſſimos ſibi pares quærit. tenera faſtidio tranſit; duriſſima proritat, aduerſus quæ vim ſuam intẽdat. ignem experitur in Laurentio, paupertatem in Franciſco, exilium in Ioanne, tormenta in Vincentio, venenum in Benedicto. Magnum exemplum non niſi magna for-

fortuna non inuenit: apud vos, in quemcumque propè cadat, inueniſſe videtur, vt liceat dicere: Dignum fortunâ par, Reipublicæ ciuis, illi compoſitus.

Et neſcio an non hoc ſit vrbi huic proprium: aliarum enim ſi intuearis ciues, vnius calamitate omnes arbitreris oppreſſos, vt quos ruina non attigit, metus exanimauerit; paremque paſſis mœrorem exprimant, cùm putent eadem ſe pati poſſe. Vt aues, etiam inanis fundæ ſonus territat, & excutit ſedibus: ita plerique, auſim propè, non nati, non educati in Republicâ hac, ad nudum non modò contremiſcunt ictum, ſed ad vacuum ſonum. at qui ex hac prodierunt, tamquam ſi omnia miſſilia præuiſa, nihilque præter opinionem cadat, ita cadunt in fortuitis, vt ſemper ſtetiſſe videantur: ita reparant claſſem, repetunt maria, vt nemo credat vidiſſe fluctus: ita cum diſcriminibus pelagi non notitia modò, & familiaritas, ſed pacti quædam neceſſitudo interceſſiſſe videtur, vt quos nudos excuſſit, reſtituat ſub diuitiarum pondere fatiſcentes. Infida fuit ſocietas? iterùm creditis: & tamen quem alibi non exanimet vna perfidia? Per iocum fortuna euertit? iterùm blandienti oſcula præbetis: & quem alium non ſternat hic riſus? quis non alibi ſecedat ab his ludis, & det raptori locum, ſeceſſionemque æternùm cogitet, meliora deſperans; & non emi-

nus ſpectet hæc bona pendentia, procul nimirum à Ioue, procul à fulmine ? Cauſſam non ſemel diſcriminis huius inter Reipublicæ veſtræ ciues, alioſque, tacitus mecum quærebam: nec aliam reperio, niſi quòd reliqui, extrà ſe vallo cinxerunt; veſtri intus inſtructi ſint: pulſari proinde poſſunt, capi non poſſunt; cùm nullum mare, fortuna nulla, perfidia nulla, mentem aduerſus fortuita armatam, poſſit euertere.

Addam aliud, mirari me ſolitum, ita pleroſque aduerſus fortuita, & quidem ſæuiſſima, armatos, vt plurimos viderim eodem vultu læta, eodem triſtia accepiſſe. Tenuit nauis portum? benè eſt. periit? mirare quiſquis hæc leges, nulli periit. intuere vultus. non dico, non refrigeſcent artus, ſed nuſquam contractior frons, nuſquam rugæ. ſcrutare cui perierint: nullum reperies. alteri periiſſe credas: huic cui periit, etiam acceſſiſſe; ea frontis oriſque hilaritas eſt: quaſi in alienâ pelle, ferro medicus ſæuierit. commiſerare: paraſſe ſe hominem dicet ad hæc humana. Præcogitati nimirum mali mollis ictus venit. & ſanè pars magna mali apud imperitos nouitas eſt, & inexſpectata compulſio. Nõ poſſunt hæc venire à vili pectore. nec quiſquã iſta, puſillâ mente, ſiccis oculis, ex alto ſpectauit. Quid faceret vera Philoſophia in Virtutis acie, apud eos, quos tantos animos circumferre videmus inter fortunæ hæc tela? Miramur feras, quas

catu-

catulorum amor mittit in venabula ; miramur iuuenilia quædam ingenia,quæ gloriæ cupido trahit in contemptum ferri: ibi amor facit indomitas;hîc ſpecies & virtutis quædam vmbra traxit in ſanguinem.quid in Reipublicæ veſtræ ciuibus veræ virtutis poſſet amor,quos nec magna, nec illuſtria, per pericula & mortes compulerunt tamquam ad epulas fames? quanta darent exempla magnarum documenta mentium, ſi in nobiliorem metam curſum defixiſſent? quanto namque generoſiorum rerum fortior ratio eſt, ac validior impulſiua vis, tanto valentiùs per pericula & mortes exirent: nunc cùm eadem faciunt in re non magnâ, quid ſperare debeamus in verè magnis,teſtantur. & quos tanta cum incommodis ſuis familiaritas, docuit tam erectâ ceruice intueri alternantis fortunæ vices,quid faceret,ſi eadem in propiorem virtuti materiam incidiſſet?non vbi ſemel obduraſſet animus,antè auferri,quàm conturbari contingeret? quid pugni, calces, flagra, cæſtus, quid enſes poſſent ? ſanguinem ipſum fluentem riderent, tergerentque tanquam à balneis ſudorem.Semel namque roboratus animus, & è Virtutis palæſtrâ toroſus, quos nõ ictus exciperet; quos non frangeret ? etiam vltrò auderet prouocare, & inſequi cedentem fortunam; quin & inclamare , Quid ceſſas ? paratum pectus vides. experiamur inuicem, tu feriendo , ego feren-

ferendo. quærit enim Virtus vbi ſe oſtentet,

Spumantemq́, dari pecora inter inertia votis
Optat aprũ, aut fuluum deſcendere monte leonem.

Refellitur criminatio de occupatâ ab Iberis urbe, anno M. D. LXXVI.

ALiquis hîc ſibi de alienâ venuſtus calumniâ, militarem obiectat rapinam, & inter micantes gladios, flammas, ſanguinem, ſtrag̃emque impulſæ ciuitatis, fractum animum. O ſemper inimica alienis progreſſibus inuidia! quanto prudentiùs hæc ferocientis fortunæ vulnera, & adhuc de cicatrice recentia, ac quaſi de ferro calentia, quiſquis eſt, preſſiſſet ſilentio? Poſſem hîc illud Poëtæ:

—— In corpore fortium virorum
Laus eſt amplior, amplior cicatrix.

poſſem, quod Ariſtides, cùm ad ſupplicium raperetur, repertuſque eſſet qui in faciem inſpueret, cùm neminem id arbitratus eſſet auſurum puri oris, abſtergere; & lectori dicere, Admone iſtum, ne tam improbè oſcitet; ipſique hoc reſpõſo contumeliæ contumeliam facere. Verùm tacebo: & hæc lapſantis fortunæ dehoneſtamenta tacitus præteribo. nam quid ego aduerſus has immemores humanæ conditionis voces, dictaque improuida, præteriti temporis fortuita conuulnerantia? Dicam tamen, quod de viro magno Seneca: Si magnus

magnus cecidit, magnus iacuit. addam: ſurrexit maior. idem de vrbe hac. tantùm in hac ſtrage, omnis fortunæ crudelitas laſſata conſiſtat. hoc oro. ſitque militaris hęc licentia, nihil ampliùs doliturę ciuitatis piamentum. Et non pari iure Carthaginis ac Numantiæ, Corinthi, Athenarum, Spartæque, & tot Regnorum cinerem, aut quidquid altiùs cecidit, ridebit? Inſpice, quiſquis es, volubilem hunc rerum ordinem, totamque ante oculos ſortis humanæ conditionem pone, ſæuumque hæc inter fortunæ ludum. hîc montes diffluunt, alibi rupes; iam ſorbet, iam vomit fortuna maria; modò ſiſtit, auertit dehinc flumina, & ditat nouis. Quot vrbes vno tempore ceciderunt; quot hiatibus ſubductæ? quot non vno loco integræ deſederunt regiones? quot redditę terris, totis demerſæ ſæculis? Et non omnium orbe toto magnarum ciuitatum veſtigia tempus eradet? non formidanda olim maria ſiccabit, ipſaſque rupes ad humilem deducet arenam, decoctor ignis? noſque ipſi, parua aliquando ingentis vltimæ ruinæ acceſſio, non in amica vertemur elementa? iacebimuſque inglorij, terra & vilis puluis?

In plenum dehinc fortunam cogita, circumfer oculos: quot gentes populoſque mutaſſe credis ſedes? Tyrij Africam incolunt, Longobardi Italiam, Hiſpaniam Gothi, Athenienſes Aſiam, Angliam Germani, Galli Græciam; & Scythia

Achaiæ ciuitates Ponticis impoſitas littoribus oſtentat. Nihil eodem aut loco aut ſtatu manſit, quo genitum eſt. Regna intuere, Imperia, orbeque toto Prouincias. illæ te docebunt: plurimarumque in his vrbium oſtẽdet euentus, quarum in ipſo flore luxurioſa imperia ceciderunt. Nec magnis hæc interuallis diſiuncta : momentum ſæpè temporis euertendo imperio ſuffecit; etiam Romano, ne me putes minima tangere.

Verùm Antuerpia hoſtili aliquando manu iacuit: non nego. & in mediâ propè pace iacuit: ita ferè inſperatò bella ſurgunt, hoſtis ex ſocio, ex propugnatore euerſor. Eadem reperies alibi. nam & in ſubitas tempeſtates agitur æſtiua tranquillitas, & rurſum ſerenitas, rurſumque nubilum. Quid cauſſas quæris? cùm ipſa ſibi, vt alia taceam, felicitas, cladis cauſſas repererit; vt ad hanc ſatis videatur eſſe, fuiſſe felicem. Iam quantum intereſt, ab hoſte perierit, an operta fluctibus, an hauſta terræ motu? aut quæ res demum non habuit aliquam ruinæ ſuæ cauſſam? quæcumque hæc fuerit, ſatis eſt fuiſſe. Interfuerit etiam dies vna, an plures, inter vrbem maximam & nullam; quantulum hoc eſt, aut quod ſolamen prorogati ſpatij, protenſæ miſeriæ, cùm venerit dies illa conſumtrix omnium? Quid ergo nouum, cùm ipſa adeò naturæ opera videamus vexari, tolli, & ſtatui, montes, terras, maria, ſi vnius vrbis ſenſerimus, non

non dicam excidium, ſed deuenuſtationem, tamquam vnius arboris ſpolium, in fecundiorem redhibitionem? Nam de Antuerpiâ hac veſtrâ auſim illud Poëtæ:

—— Tua nempe putantur
Surgere fata malis; & celſior eſſe ruina.

cecidiſſe itaque videri poteſt, vt ſurgeret altiùs. Ita non rarò maiori fortunæ locum fecit iniuria; vt ideò quædam periiſſe videri poſſint, quò cultiora enaſcerentur. Accidit hoc vrbi huic veſtræ. ſurrexit, & erexit ſe ſuper ruinâ ſuâ, florentior: vt arbitrari meritò poſſis, ignem illum viſcerum depaſtorem, conſultò fæuiiſſe; vt vbi caſæ erant, ſurgerent cælo domus, inuidiam facturæ Principum palatiis.

Verùm percelluit illa ruina plurimos, & etiamnum inhæret fibris, nullâ ætate emedullanda. Poſſem ad hæc ignaua pectora, humanarumque ignara rerum, illud Poëtarum principis:

—— Cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies, variiſque labor mutabilis æui
Rettulit in melius: multos alterna reuiſens
Luſit, & in ſolido rurſus fortuna locauit.

imò in maiore, in ſplendidiore. res docet: illa loquatur. Neque fugit hoc Regnorum & Rerumpublicarum Timones. hinc illud Timagenis Vrbis inimici: Romæ ſibi incendia ob hoc dolori

eſſe, quòd ſciret meliora reſurrectura, quàm arſiſſent. Idem credo eueniſſe Reipublicæ huius hoſtibus. Et verò maiora certioraque reſtituta ſunt: ſint tantùm diuturna, & melioribus in omne æuum auſpiciis condita. ſin minùs, & aliud volet imperium ex alto, hoc ſtatuamus: nihil fortunæ inauſum; aduerſus Romam non minùs habere iuris quàm aduerſus Cannas. in eum enim intrauimus mundum, in quo his legibus viuendum eſt. Placet? pare. diſplicet? alium mundum quære.

Sed hæc maiora cadent? etiam Imperia totis exciſa ſedibus iacebũt. etiam viri Principes? æquè ac pauperes. aut aliquis homines ſceptro metitur & purpurâ? Si impares viuimus, pares tamen naſcimur, morimur pares. hoc volo: Conditor ille generis humani, non natalibus nos, niſi dum ſumus, diſtinxit: vbi ad finem ventum eſt, omnium quæ terra premit, ſimilis lex eſto, ſi corpora metiaris. Nam de animo, & alterâ meliore redanimatione, aliud iudicium eſto. neque tamen in hac vlla prærogatiua purpuræ: ſoli virtuti erit. Hanc amplectamur: reliqua vt peritura, & ad matricem puluerem ſuum reditura, deſpiciamus; cùm omnium mortalium opera, mortalitati ſciamus damnata, nec quemquam in craſtinum ſui eſſe certiorem, non Regem, non ſeruum. ad patienda nimirum pares, ſed & ad ſecunda meliora-

que

qúe imperia pares, ſi virtute pafes fuerimus; quâ ſolâ,largitur,metiturq́; Deus æternatura præmia.

Iam ſi obiectæ criminationis robur propiùs intueamur,quid magnum fuit à veterano milite, & in viginti propè annorum ciuilium bellorum incude roborato, inopinantes ciues, ſecuroſq́; vt in altâ pace,circumueniri ? & ſteterunt tamen, inermeſqúe armatos , quantum in illâ fortunâ licuit, maioribus animis quàm armis,ſuſceperunt. Paſſi ex hinc ea ſunt in pace, quæ ne bello quidem timeri poterant. quid damnas? Ignauus nauigij rector eſt, qui fluctuantia vela deſeruit, permilitqúe tempeſtati nauem: at ille etiam in naufragio laudandus,quem obruit mare clauum tenentem, & nudo latere fluctibus obnitentem : cuiqúe mors ſola gubernacula eripuit ; ac ne eripuit quidem: auſus antè gubernaculo innatare, & illo iam vehi tamquam naui. Idem hîc cogita, mori antè ciues delegerunt, ruereqúe in hoſtile ferrum,quàm deſerere ſtationem. Quid damnas? quòd ſenſerunt? quòd magni vulneris magnam cicatricem , ne nunc quidem tranſeant ſine præteriti temporis memoriâ ? non eſt hominis non ſentire mala ſua. (neque indolentiam bonum dixero , habet illam cicada, habet pulex; vt nec moleſtiâ carere bonum , quid otioſius verme ?) tulerunt tamen illa,quod viri eſt. Quid ? hoſtis armatus, veteranus miles,ciuili paſtus ſanguine, ferrum in manu,

mors in iugulo; & non ſentiet exarmatus ciuis, vrbicis nutritus commodis, flammis circumſecus cinctus? Exclames fortè:

Nunc animis opus Æneæ, nunc pectore firmo.

quis animas nullo monitore ruentes in ferrum, quæ has vibrata tela, quæ arietata inter ſe arma agminis denſi, terreant; quas non vrbis impulſæ fragor, non vitalia depaſcens incendium, non coniugum, liberorum, non carorum cædes, è ſtatione deiecerat? Temeritati hoc aliquis aſſcribat. errat. ſi prouocaſſent inermes armatas veteranorum iras, poterant damnari; at declinauerant quâ tunc licuit prudentiâ, non minùs quàm in nauigando procellam. Ille temerarius audit, qui cùm declinare poſſet, contrà it, & contemnit potentiores minas; qui exaſperat imparibus armis; qui dum licet, nocituram non vitat potentiam. At quæ euenerunt vrbi huic, inopinata fuerunt omnia, & quæ nec præuidere quidem humanum fuit. aliter itaque res cecidit, quàm vereri quiſquam poſſet: nec licuit felicem ſemper curſum tenere; fateor. nec ideò tamen aut victi ciues, aut ſubacta Reſpublica. Nemo enim illũ victum dicet, qui corpore licet proſtratus, animis tamẽ ſtetit. Ita CCC. Fabios nemo victos dicet: & Regulum captum à Pœnis, nemo victum dicet. Quiſquis proinde ſæuientis fortunæ vi ac pondere oppreſſus, non ſubmittit animum, numquam ex vero victus dici poteſt; nobi-

nobiliſſimâ ac principe parte ſui erectus, licet deteriore iaceat.

At ſeruire tot ciuilium bellorum ſanguine madido, durum. neſcis quâ ætate Hecuba ſeruire cœperit, quâ Crœſus, quâ Dionyſius, quâ Darij mater, quâ Plato? quâ ſeruatus alius, vt

Orbatæ ad Tomyris veniret vtrem?

quo ſi recentiora cogitas, quamque funeſto perierunt exitu Orientis Imperatores, Valens ignibus, Zeno vxoris perfidiâ, Baſiliſcus cum liberis ferro, Anaſtaſius fulmine, Heracleon exilio, Conſtans ſuorum gladiis, Nicephorus Bulgarorum iaculis? quàm funeſto Occidentis? Henricus inediâ, & quidem à patre, Fredericus Numantici Scipionis exitu, & à filio; Lucius caueâ ferreâ, Conradus veneno, & à fratre; vltimuſque Sueuici ſanguinis carnificis manu? Sed neque ego hunc ſeruire dicam, cui animus liber eſt. aut quiſquam Epictetum ſeruiſſe dicet in tam excelsâ animi libertate; in tanto cupiditatum omnium dominatu? non magis quàm Calliſtratũ & Rutilium exules. huius digna Romano vox eſt; Malo patria exilio meo erubeſcat, quàm reditu doleat. Non eſt hoc exilium, cuius neminem non magis quàm damnatum pudet; & ſanè quicumq; talis eſt, patriam ſibi, etiam vltima terrarum ſtatuet. ita qui corpore ſeruit, ſi animo perſtat, nec libidini, abdomini, crudelitati, inuidiæ, ambitioni, pecuniæ ſeruit,

liber

liber eſt. cùm contrà qui his ſeruit, licet familiam alat regnis maiorem, licet ædificia inhabitet laxitate vrbes vincentia, licet arctet claſſibus maria, milite Græciam, equite Germaniam, licet vtroque ſubacto orbe ignota quærat maria, orbem alium, cæluinque aliud, ſeruus erit. aut quis Alexandrum liberum arbitrabitur cùm in littore maris rubri pedem figit? cùm claſſibus in oceano errat, bellaq; per ignota captat maria? cùm extra naturæ terminos arma profert? cùm inexploratum profundum cæcâ ſcrutatur auiditate? non ille cupiditati imperioſiſſimæ in his dominæ colla ſubmiſerat; nõ ſub infami illius iugo ceruices flexerat? quo modo ergo liber erat, quem inſana cupiditas in nouos agebat orbes? quẽ, cùm vix ſeptem aliquando expleret vrnam pedum, nullæ explebant terræ? Ego hunc liberum dixero qui tam fatuis ſeruit? quem tot intus compulſari video motibus, tamquam in piſtrino flagellis, quot ardere vid co non ſaturandis votis? aut non illum potiùs liberum, qui corpore quamuis duram patiatur ſeruitutem, animo tamen erectus, innatæ memor libertatis, nihil aut indole ſuâ, aut homine indignum committit; ſed antè animam ponit, ſanguinem fundit, quàm à vero rectoque vel latum crinem decedat? Hanc libertatem animumque apud vos repperi, quam nec mors raperet, non foculus Porſenæ, non buſtuaria altaria, non Dio-

Diomedæa præſepia, non taurus Siculus, nõ mortaria tyranni; non ſerpens, ſitis, arenę Catonis. Pergite hac libertate, nomen, admirationem, cælum promereri: hac enim vnâ vendicarunt ſe in libertatem, quotquot olim nati cælo, à ſeruitute omnium maximâ. hac vnâ contra fortunam luctata Virtus, etiam citra effectum propoſiti operis, enituit, claruitque Sole maior.

Militare robur.

QVamquam ſi arma velis, ſi obnitentes fortiter animos, ſi quos non vlla iniecta mouerunt

Tela, nec aduerſo glomerati ex agmine Galli,

hîc reperies. neque vllis magis nota eſt Reipublicæ huius virtus, nullis quid dextra, quid tela poſſint, quid viuida bello virtus: ita duritia ſilicis nulli magis quàm ferientibus nota. Memini diei illius, cùm validiſſimo obſeſſi exercitu, intraq; mœnia præproperâ victoriâ elatum vidiſſetis hoſtem, quem foueratis, admiſeratis amicum. Cuius animus non concideret inter arma, inermi dexterâ? verùm vt quorumdam lapidum inexpugnabilis ferro duritia eſt; vt ſaxa tot ſæculorum verberata fluctibus, nec veſtigia ſæuitiæ oſtentant; aſſiliant, impetum illi faciant, ferendo hæc vincunt, frangantque percuſſorem ſuum: ita leui ciuium ma-

nu, leui repercuſſu, ingentem exercitum fudiſtis. Fuit hîc verum:

——Hortaminn fortes
Præueniunt, timidiſq; etiam breuis addita virtus.

Non tangam hæc pluribus. poſſem; & naturale eſt manum ſæpiùs ad id referre quod dolet, aut quod pruritu ſuo exaſperatũ prouocat in contactum. at ego tacebo. Quòd ſi tamen robori huic, animiſque, virtutum etiam in hoſte admiratrix contigiſſet antiquitas; quanto ingeniorum certamine, viueret ille dies, quem vrbi fatalem hoſtes deſignarant? At melior cauſſa, meliorem fortunam reperit: & viros hîc eſſe ſenſit, quos non minæ, non ferrum terreat. cùm armati, tam inſperato animorum robore fracti, attonitique, citatiore gradu portas repeterent quàm intrarant; vt arbitreris in hanc diem ceciniſſe Vatem:

—— Impediunt numero, ſeq; ipſa vicißim
Arma premunt; nec vis conatibus vlla, ſed ipſa
In ſocias errare manus, & corpora turba
Inuoluit prolapſa ſua.

Poſſem etiam nunc oſtentare campum hoſtili

——qui ſanguine pinguis
Spirat adhuc;

poſſem ſuffixa portæ anathemata. Verùm ſilentio inuictæ Reipublicæ veſtræ magnitudinem, non verborum cultu venerabor.

Secundũ exemplũ militaris roboris M.D.XCV

Succedit alterum teſtatiſſimi roboris animique docu-

documentum, cùm insonat tristis auribus nũtius:

Hostis habet muros, ruit alto culmine

Lira, tot ætatum opus. & iam

—— vix primi prælia tentant

Portarum vigiles.

Quid ageret Aduatico generosum germen sanguine? incitabat vetus gloria, rei indignitas, hostilis ausus; magna exercendæ virtutis incitamenta, vbi in virum inciderint. impellebat Patriæ salus, Prouinciæ vastitas, diuinorum contemptus; ingẽs audacis alicuius ausus irritamentum. inde tamen loci distantia, vrbs subacta, veteranus miles, equitatus hostilis, quem non terruissent? Verùm quæ mortalium plerisque metum, ea vobis ad virtutem calcar. ergo expedire lubet arma. & obuia quæque prout fors dederat arrepta: etiam de vicinià aliqua mutuata. Neque deerant qui dissuaderent: ita ferè subita, inertia sternunt pectora; quæ certam seruitutem præeligant dubiæ libertati, quæque inter vincula malint vitam, sequẽtes

—— timidæ compendia vitæ,

quàm vltimum *—— decus addere morti.*

at vos immemores sanguinis vitæque (generosæ mentis est obliuisci sui, vbi Patria in discrimen vocatur)

Sagitta qualis Parthicâ velox manu
Excussa fertur,

sic quò Patriæ vocat salus properatis alacres. dul-

ce nimirum pro hac cadere,

—— *pulchrumq́ mori ſuccurrit in armis;*
—— *vitamq́ impendere famæ.*

tamq́ue citatus fuit curſus, tam ſine morâ interruptus, vt antè in conſpectu captæ vrbis eſſetis, quàm plerique patriam vos vrbem reliquiſſe ſcirent. ita orbata tygris, excuſſura raptori catulum, ſuperuolat veriùs, quàm ſuperueniat. Et ventum erat ad portas, cùm crudelis vbique

Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Verùm eo vos audentiores, animiſq́ue ab ipſo diſcrimine ſumptis, per tela, per hoſtes itis in amicam vrbem. nec mora, cedit Aduaticis armis Battauus: & ille tot bellorum miles, tot annorum veteranus, toties ciuili lotus ſanguine, ad primum clamorem veſtrum (ô ſemper timidum ſcelus!) circumſpectat effugij loca. pars mœnia, citatiore quàm venerat curſu, petit. pars turpi concuſſa formidine, abdit ſe tectis. Ita eâdem propè horâ, quâ victorem ſe viderat, victum ſe ſenſit Battauus; atque adeò in ipsâ victoriâ victum. ſic quo luſere nauigia loco, ſorbentur. Quis hîc triumphos neget, Vrbis receptæ, hoſtis cæſi? Vincebat hic numero, equite, pedite, graui armaturâ, velite: vincebat quinque & viginti annorum militiâ, alternante tot annis fortunâ, vario ſemper euentu, læta ac triſtia: perq́ue ſecunda & aſpera, induraueRat corpora animoſq́ue: vincebat recenti victoriâ.

Vos

Vos pauci,ſed meliore cauſsâ,dilecta Deo,deuota Patriæ phalanx , nullo equitatu firmati , obuiis, prout cuique,in tantâ trepidatione , fors obuenerant,armis inſtructi,veteranum militem , totque annorum bellatorem,Vidiſtis,Viciſtis. Quis mihi hîc calamũ parem animis,fortunâ parem? Plures aliquando Luculleia menſa vidit conuiuas,quàm vos pugnæ victoriæque ſocios. Vidimus euntes, redeuntes . quæ non oſcula matres, coniugeſque, tam felicibus votiuiſque pro Republicâ imprimant labris?quæ non ciues reliqui fortunatiſſimis dextris ? imò quis non collectum Liranis puluerem campis tergat oſculis? non hoſtili pingue ferrum ſanguine detergat gaudens ? non dentata hebetatorum cæde gladiorum latera pernumeret lætus? non libatum Patriæ ſudorem, ſuper nectar & ambroſiam bibat alacer ? Beatam diem ,quâ omnis ætas,ordo, ſexus,excepit reduces victores! Non hîc , ſi veteres non pudeat ſequi , ſpument annuatim Falerno gemmæ?non cryſtallis caleant vnguenta glacialibus ? non cinnamomo.ac thure, cœnationes ſpargant peregrinos naribus odores; & madeſcentes nardo capillos , circumfuſa florum ſerta ſiccent ? non omnes denique Charites, reuertente in orbe felici hoc die , ſingulos, auro gemmiſque ſacratos Patrię vertices coronent?aut quam hîc gratiam floris , quam prætermittant frondis lætitiam, non alicui capiti deuotam ? imò

non ipſi adeò generoſi agminis calcati greſſibus, neglectâ frumentariâ ſobole,

—— violam, cytiſum, ſerpilla, liguſtrum,
Lilia, narciſſos, caſiam, colocaſia, caltham,
Coſtum, malobathrũ, myrthos, opobalſama, thura
Parturiant campi,

vt perpetuo teſtentur flore, perpetuaturos orbe triumphos? Exurge vbicumque es doctior manus, & in obſcuro ſilentij receſſu deliteſcentia inuictarum trophæa mentium, artifice publica calamo: quàm diu marceſces in hoc pingui victoriarum campo? exurge melioribus auſis; non

Verborum violis multicoloribus:
Nam cantu & modulis luxuriantibus
Laſciuire vetat maſcula dictio;

qualem maſcula ſibi virtus, iure ſuo, vendicat: nimirum tamquam Brontis Steropiſque malleo & incude chalybiam: quà mihi, quà orbi, quà æternitati, virtutum diſculpta ſquamis pectora, extritaſque pugnaci calle dexteras perennaturas oſtentet.

Hæreſeos nota deterſa.

ALius neſcio quis

Prodit hirritu rabiem canino:

parumque memor humanarum viciſſitudinum, hæreſim obiicit; & ab auorum fide, nongentis & quod excurrit annis firmatâ, deſciuiſſe incla-

inclamat . ô voces!

—— abruptis etiammum flebile venis
Vulnus hiat, magnaq; patet via lubrica plagæ,

& hunc delectat exasperare; non & nouare hæc vulnera, hanc feram scabiem, VVittembergicâ, & Gebennicâ affrictam contagione? neque enim diffiteor ab his Aquilonibus afflatam & Belgis vniuersis, & vrbi huic, non contemnendam malignitatem . Vt enim indomitum niuibus & Alpibus, eneruarunt fomenta Campaniæ; vitiisque victus est, qui vicerat Alpes: ita quos tot sæculorum consensus vnus, tamquam menodabili constrinxerat vinculo, enodarunt, & enincularũt per conuiuia & vina licentiæ voces, & nocituræ libertatis pollicitationes: quæ non ignobilem partem, latronum more dum amplexantur, strangulant. hinc prece, inde pretio, alibi minis, quin & sponsionibus forinsecus melleis, soloque promissorio verbo grauidis, inuoluunt ignaros in illud profundum contemptæ religionis. quosdam ex insidiis, per importuna interualla, improuidos, ex occasionibus assiliunt: molestum oppugnationis genus, cùm neque tamquam in bello paratos esse liceat, neque tamquam in pace securos: hinc non tam robore, quàm assiduitate fatigati, manus dederunt. Defluxit exinde hic turbo per vniuersas propè Belgicas Prouincias; nec summa papauerum tantùm, sed & reliqua malignitatis suæ flatu

ambuf-

ambuſſit. Hîc illud profundum fuit nobiliſſimarum Prouinciarum, alternis infidiſque reciprocum æſtibus, quibus, modò ſubitis alleuatæ incrementis, modò maioribus depreſſę damnis, aſſiduè iactatæ, nuſquam quadraginta his annis ſtabili ſteterunt loco: alteræ in alteras illiſæ, & naufragium non ſemel paſſæ, nauigarunt infidum hoc mare, ventis ludibrium. ô quando portum? fallor? an iam video? Huius naufragij pars aliqua ciuitas hæc: fateor: at pars magna proſperioris curſus, fidentioris ſtationis eſt, noſſe quæ ſigna anteambulæ dent nubes; quis locus vorticibus infamis: vt remediationis pars magna, agnouiſſe morbum eſt.

Verùm quò tu, quiſquis hunc accuſas næuum in pulcherrimo hoc corpore? papulas obſeruas alienas, ipſe vulneribus obſitus: verrucas rides, cùm te effera ſcabies depaſcatur. ô ſemper æmula virtuti inuidia! quid ſi hîc mores, ſi vitam, ſi reliqua tua ſpectanda proponam,

Quàm timeo victus ne pœnas exigat Aiax,
Vt malè defenſus?

Et cur non potiùs ſelegiſti magna, melior iam apis, & tot ſæculorum conſtantem fidem, quàm deterior araneus vix paucorum annorum fluctus, tamquam venena, à vicino mari? quid ſeptem annorum iactatione damnas tot ætatum fidiſſimum fidei portum, tutam ſtationem? quid

inno-

innocentiam maximæ partis, ſcelere paucorum? cur non flagitia paucorum, virtutibus excuſas integiſque plurimorum? nam quæ hæc improbitas, tot ætatum, tot capitum virtutem, paucorum vitiorum criminationibus ſordidare? Nocturna quædam animalia, ad primum ſolis ortum ſtupent, & latibula paſſim petunt, timida lucis; ita ingenia praua, & ſolis nata tenebris, probitatis auerſantur radios, inimica luminis: ergo obſcura quæque venantur, in quibus infelicem linguam tamquam domeſtico paſcant pabulo. Verùm inſtent, commordeant, citiùs frangent dentes, quàm imprimant. nam quid hîc volunt? noctem immittere æternæ huic vrbi? erratis infelices animæ. nam & ſolis vis magna eſt etiam inter oppoſita: & quamuis aliquid non rarò interiaceat, quod prohibeat eius aſpectu, curſu tamen ſuo fertur; neque quia inter nubila luxit, ſereno minor eſt. Idem audeo de hac vrbe. oppoſita nihil detraxerunt, intercurrentia nihil ademerunt: minùs tamen inter hæc fulſit, non nego. at more ſolis obſcuri, & à ſubterlabente nube tenebrati, vim ſuam exercuit. Hoc itaque potuit aduerſus hanc hæreſis, quod aduerſus ſolem nebula: tenebras nimirum interuomuit; nec omnibus tamen: nobiliori namque parti luxit. euenitque quod nauigantibus: licet enim in eodem elemento, non omnes tamen naufragium patiũtur, ac ne iactationem quidem.

imò, nec oborta tempeſtas quantumuis ſæua, pari atrocitate ſæuiit in omnes: quoſdam namq; vexit molliùs, rapuit quoſdam vehementiùs; alios prope littus depoſuit tamquam in tutelæ ſubſidium, multos in altum vectos depreſſit. ita hoc animorum profundum, paribus licet fluctibus, impari tamẽ ſucceſſu ſæuiit in varios. hos totis obruit vndis; alios deſtituit fluctibus, quos aut irreſpirabili pòſt demergeret vado, aut inextricabili impactos illideret arenæ, aut inenatabili committeret Neptuno; quoſdam etiam leui, nec vltrà, excideret aſpergine, tamquam rore tinctos vberiore. quorum pars longè maxima, lucente ſidere proſperiore, poſitiſque ventis fluctibuſque, rediit ad ſaniora, ad portum aliquando ſecundiore curſu deducenda per ſecunda ſolatia periclitaturæ fidei à Domino poſita; inter ſcopulos & ſinus, inter vada & hæreſeos freta velificata, eo nunc tutior quo cautior, ſecurior quo ſe ſenſerat nimis infido concreditam elemento, & quo propiùs viderat omnem hunc nouitium curſum de incertâ ſtatione eſſe. Ita omnis nupera ſtructura minùs firma, ventiſque iniuriiſque obnoxia, non rarò ingenti vnâque ruinâ, dominum familiamque ſepeliuit. contrà, nullo incurſu loco mouetur, quam ætas roborauit, & mora ipſa durauit in ſaxum: incurrant venti, admurmurẽt, in ſe plus quàm in illam ſæuient, valido repercuſſu irritum conatum docti.

docti. qui ſi in mollem cedentemque materiam incidiſſent, damna dediſſent. De materiâ ergo habet profundum hoc omne, tempeſtaſque indiuiduo illi nexu iuncta, ſi quid poteſt. hoc dico: De infirmitatibus omnis hæreſis habet quòd valeat; nihil valitura, ſi in benè valentem fidem incurrerit. Quid ergo miramur de quibuſdam ab hæreſi captis? leuis fidei, palea leuis eſt, quocumque afflatu raptatur: & tenuis ſcintilla depaſcitur quantumuis ingentem ſtruem.

Verùm antè eadem nobiſcum tenuerunt. ita arbitror. Sed quid mirum, probatum antè, poſteà excidiſſe? Saul bonus, Ieroboam, pluresque alij, liuore & ambitione poſteà euerſi. & quàm multi iam inde ab Apoſtolorum temporibus, in hæreſim, fidem demutarunt? neque ideò fides non bona. alioqui & vites damnabis, & terrã, mariaque, & quidquid fecundo vtrumque ſinu mortalibus profudit; cùm innumeri perierint, malignè iis vtentes, quæ poterant eſſe (non & debebant?) in medelam, in ſalutem. Et quis prudens ædificabitur in ruinam ob degeneres quoſdam veritatis animos? Quòd ſi quis fuerit, qui nouitia hæc recenſque nata ſequi maluerit, quàm noſtra tot ætatum prærogatiuâ firmata; num hoc fidem labefactabit, tantis comprobationibus teſtatam? quin adeò purior eo frumenti maſſa in horrea Domini reponetur, quo tentationis

huius vanno plus paſcæ excuſſum fuerit.

Et licet graue fuerit tot capita à veteri maiorum fide excidiſſe, maius tamen fuit, poſt nouercales ſemitas, rediſſe ad matrem; poſt licentiæ pabulum, ad reſtrictiora paſcua; poſt libertatis ſteriles auenas, ad fecundum Domini frumentum; poſt guſtata nouitia mella, ad veterem diſciplinam ſeueriorem; deniq; poſt viam perditionis floridam, latam, ad cæli anguſtam, vepribus ſentibuſque obſitam. Grauis hæc videri poſſet non cogitanti æterna, non cogitanti hanc vitam nihil eſſe niſi æternæ ſtillicidium. at ſi mentem cogitationeſque, ab huius vitæ ludicris, ad alterius ſeria conuerterit; facilè ſe, moreſque ſuos, ad veterem regulam componet, certus non poſſe labi tot ſæculorum robore ſtipatam.

Faceſſat proinde calũnia. nec tam quid factum aliquando, quàm quid nunc fiat, ſerij indagatores circumſpiciant; nec probis damnandos miſceant, memores etiam Magnum Auguſtinum à Manichæis ad noſtros tranſiſſe. Quòd ſi porrò conuiciari pergant, quid reponam? nolo contumeliam contumeliâ repercutere. quid ergo? credã? poſſet fors aliquis, niſi videret illos è patibulo ſpectatores ſuos conſpuentes. ô inuida proſperioris ſucceſſus æmulatio! Nam vt faciles errorem agnoſcamus, quid ſperant? quid ſi occinam illud Ariſtotelis; Nullũ magnum ingeniũ ſine mixturâ dementiæ:

Nam

Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt,
Qui minimis vrgetur.

addamque vix vllum olim ſine vitio placuiſſe ingenium. Da enim mihi quemcumque vis magni nominis virum; dicam, quid illi ætas ſua ignouerit, quid in illo ſciens diſſimulauerit. Iam quę orbe toto dignitas eſt, cuius non prætextam comitentur mille maculæ? quod regnum, cui non paratus eſt ſuus contemptus, cui non æmula proculcatio? nullis propè hæc interuallis diuiſa ſunt. horæ ſæpè momẽtum intereſt inter triumphos & dedecorationes; inter candorem & næuũ; ac non rarò inter ſolium & aliena genua. Seianus vtriuſq; fortunæ exemplum erit: quem quo die frequens Senatus deduxerat, populus in fruſta diuiſit: & in quem cùm, quidquid congeri poterat, Imperator contuliſſet, nihil ſuperfuit quod carnifex traheret. magnum alternantis fortunæ documentum. Quod huic aliquando, non cuiuis euenire poteſt? Nemo proinde rideat, cùm paribus ſubiaceat. nemo iacentem etiam inimici fortunam contemnat; cùm nullus tam potens fuerit, cui non in potentiæ ſuæ vertice paratus fuerit dominus & carnifex: nemo ingenio adeò ſublimi, cui nõ inerrauerit ſua labes. Imò quæ vmquam exultatio fuit etiam in fortunatiſſimo ſucceſſu; etiam in latiſſimâ gaudij materiâ, tamquam oceano, cui non innatauerit aliqua querimonia, tamquam ſæuior fluctus, aut

reiectitia ſpuma? aut vbi tam purus fortunæ riſus, cui non ſubeſſet moroſior rictus? demum, quæ vſquam lætitia, etiam inſperata, cui non adhæreret aliquid mœroris, coniugatione quâdam mellis & fellis? vbi nimirum vber, ibi tuber.

Quamquam ſi non perpetuo Veritas ſilentio inuoluenda; pleraque hæreſeos Antuerpię capita, defluxiſſe comperiemus è Galliâ, Germaniâ, Angliâ; aut adnauigaſſe ex viciniâ, tamquam adiacentium Prouinciarum vomitu in hunc portum excuſſa. pauca verò taraque hîc nata. nec capita tantùm, ſed & quæ comitata eſt turba improuidâ ſequelâ: cùm non minima pars huius, nec quid ſequeretur ſciret; neque nupera hæc dogmata, de ſolâ nouitate imperitorum oculos aureſque percutientia, extra nudum nomen noſſet: vt non tam ſecuta ductores, quàm turbine quodam inuoluta, tamquam valido palea vento, cenſeri debeat. Huius rei manifeſtum habes indicium. vt primùm enim illuxit ſidus certius, & retecta Veritas retexit fucum, diſcuſſit nubem, & potentiore radio denubilauit cælum, reddiditque ſubductum ſolem; damnatâ temerariâ ſequelâ, fatuoque cæcoque delectu, ad veterem, ſæculorum robore firmatam, fidam carinis ſtationem ſe recepit, certior iam de ſalute.

Exurgit tertius, & ad retroſiora criminationem conuertit: annique ſexageſimi ſexti vrentem turbinem

binem obiectat. Habet is hîc fatentem reum. at paucorum hæc insolentia fuit. Et quid magnum dormientibus Belgis in simplicitate doctrinæ (noxia semper nimia securitas fuit) fructificasse auenas Lutheranorum? quibus fœcundiore successu Caluinianæ, Mennonianæque superseminatæ, excusserunt latissimè semina, etiam in vrbe hac. quæ cùm sperarentur posse suffocari, irritus conatus omnis recidit: nimis enim densè superseminata, succreuerant cum frumento: pars etiam subdolâ latebat viuacitate, tamquam consepulta terræ, vt postmodum erumperet eo potentiùs, quo morâ temporisque ductu plus collegisset nocituri roboris. ac erupit tandem, simplicesque plurimùm (quæ maior ferè credentium pars est) traxit in ruinam. Neque deerant, licet pauci (quales ferè post spolia racemi) in profundo illo Belgico somno, qui ex alto prospicientes, præmonerent, tempestatem imminere, quæ non multo pòst, ruptura nubem suam, grauia damna daret. sed cùm rari denuntiatores essent, & credula nimis fidensque sui securitas, bona speraret quæ amabat, mala non timeret quæ auersabatur, nec putaret euenire posse quæ nolebat; secuta sunt, quæ

—— *animus meminisse horret, luctuq; refugit,*

siue cædes refugâ memoriâ repetam, Belgicumque pingue solum sanguine, siue nobilissimæ re-

trò

trò Prouinciæ vaſtitatem . Tamen ſi vetera ſpectem, nihil eſt quod meritò quis miretur . à primordio namque Religio vim patitur.qui Deo placuerat,occiditur, & quidem à fratre; quo procliuiùs impietas alienum ſanguinem inſectaretur, à ſuo auſpicata : Helias fugatur , Ieremias lapidatur,Iſaias ſecatur, ipſe Legis clauſula, in puellæ ſaltatricis lucar trucidatur. Eadem reperies omni ætate.quanti Cæſariano gladio ceciderunt? quanti aggeres campique Chriſtiano fatiſcentes ſanguine,flumina retrò egerunt ? quàm multi diſperſi, palabundi, cælique ſolique ſui extorres, in alias alio calentes ſole terras electi? vt nihil hîc nouum, ſi ætate noſtrâ, poſt tot ſæculorum altam in vnâ Religione pacem, inſurrexiſſe ſenſerimus diabolum,qui Belgas à cultu veræ religionis auerteret, inanibus pollicitationibus , libertate præmio. At verò perſecutio illius,gloria eſt noſtra . Veniet tempus, cùm omnis hic conatus nullo impellente corruet , cùm eradicabuntur omnes ſuperſeminatæ agro Dominico zizaniæ : ſi quò minus, die ſuo colligentur omnes adulteræ fruges , & cum ceteris ſcandalis igni inextinguibili cremabuntur.

Non addam plura, ſi Deum precatus fuero, vt irretitos his aduerſarij fallaciis, inſidiisque circumuentos,requirat per montes & ſaltus, & humeris reportet ad ouile verum, ouile ſuum. Et quid-

quidquid error vetus inquinauerat, quidquid ignorantia contaminauerat, *id omne pœnitentia verrens & radens, & foras abiiciens, mundam pectoris domum superuenturo Spiritui sancto paret, quò se ille cum cælestibus donis libens inserat.* Hæc est enim virtus illa, quæ sola fluctibus mersos vitæ reddet, & in portum diuinæ clementiæ protelabit: vt quicumq; antè nõ nisi sine vitâ truncus, arbor exinde fiat, *quæ penes aquas seritur, & in foliis perennat, & tempore suo fructum agit; quæ non ignem, non securim videbit.* Hæc vota mea: & illis fusa qui etiamnũ fluctibus colluctantur. Scio non multos inter hæc mœnia reperiri: &, si vniuersam Rempublicam spectem, vnguem esse, ac ne vnguem quidem; crinem esse, ac vix benè comati, & de capillitio luxuriantis capitis crinem. quidquid est, & quantulacumque hæc res est, detersо omni venerario afflatu, relictâ adulterante semitâ, spurioque vbere, in viam redeant, ad germana matris vbera; nihil aliud sitientia quàm leuari in salutem, quàm lactare in medelam. Hæc vota mea. & vt hoc naufragio semel erepti, exinde repudium fluctibus dicant: & Dei beneficium, salutem scilicet suam, periculi memoriâ honorent. Hîc namque animis opus, cùm nusquam, numquam sæuiat hostis magis, quàm cùm prædam sentit faucibus suis ereptam: accenditur namque plurimùm, dum extinguitur; dum tot in homine mortis opera diruta,

Tertull. de Pœnitentiâ.

tot videt damnationis titulos eraſos, in quòt illum antè fidei naufragia, errorum flabris impulerat: itaque obſeruat, obſidet, oppugnat, ſi quà poſſit mentem ſemel ſuam nouâ dubitatione concutere, aut ludentibus irretire illecebris. neque vſquam deficit, qui iuxta Euangelium, *tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe*, vbi inuenit domum *ſcopis mundatam & ornatam*. Verùm non ſtatim linquendus animus. inſurgant licet aduerſaria agmina, fortior eſt Deus, & *plures nobiſcum ſunt quàm cum illis*. Pigeat proinde rurſus peccare, rurſus huic ſe profundo credere. ſin quid adhæſerit ab hoc inimico afflatu, non pigeat pœnitere: & cùm pigeat iterùm periclitari, non pigeat iterùm liberari. neminem enim pudere debet iteratæ valetudinis, ſi quæ inualetudo ſe miſcuit. iteranda ſcilicet medicina eſt, in recrudeſcētiâ morbi. Nec differamus de die in diem, pudoris magis quàm ſalutis memores. ita quidam parum prudentes cùm conſcientiam medentium rubore vitant, cum erubeſcentiâ ſuâ pereunt: & cùm non erubuerint peccare, reformidant prodactæ ſaluti reformari: ad delinquendum frontem expandentes, ad deprecandum ſubducentes. Infelix verecundia! quæ, cùm non erubuerit vindicem Dei oculum, erubeſcit humanum. In ſæculi dignitatibus, quantis non rarò cum contumeliis, enituntur

1. Pet. 5. Luc. 11. 4. Reg. 6.

tur varij in cauſsâ votorum ſuorum ? quæ non atria nocturnis & crudis ſalutationibus occupant, ad omnem occurſum maioris alicuius perſonę,imò & inferioris,decreſcentes?idque totum pro volaticâ quâpiam, & fors breui dominum ſuum luſurâ dignitate: nōs in æternitatis periculo dubitabimus aliquid tolerare ; & perituru ruborem veremur , quo æterno remediamur? quamquam plerique hîc omnes,damnatâ nocituⁿrâ erubeſcentiâ , ſecunda à Domino poſita ſolatia magnis amplexi ſint animis, eo nunc ſecuriores, quo clariùs vident in quantis fluctibus improuidi dormiuerint,tamq uam in altâ malaciâ.

Pietas, & in Deum cultus.

ET ſanè,qui veterem anni ſexageſimi ſexti turbinem , quique nouam hanc Reipublicæ faciem intuetur, perfacilè videt, quantis mutuò diſſideāt interuallis. Aberat,fateor,à veteri, ſubiti & ætate noſtrâ exorti naufragij metus: ſed inerat torpor animis , & diuinorum quidam neglectus, perpetuaque cæleſtium ſomnolentia ; vt tamquam vi quâdam ſoporati Stygiâ, madidique Lethęo rore,laxatis quaquà iacerent artubus,in altiſſimâ quiete , & de quibus meritò poſſet intentari illud Euangelij : *Vtinam frigidus eſſes , aut calidus : ſed quia tepidus es,& nec frigidus nec calidus,incipiam te euomere ex ore meo* . At nunc ignauo depulſo ſo- Apoc.3.

pore vigent, vigilique curâ perennaturis intendunt animos: tantoque passim accursu,& templa petunt orationum ad Deum sacraria, & altaria cingunt Summi Numinis repositoria, & Sacramentis muniuntur, cælesti in his rore sitientes animas restinguentes in vitam, vt nemo hîc iam Hesperiam,Iberiamque desideret: audeo: nemo non totâ iam Hesperiâ, Iberiâ totâ, Antuerpiam desideret. Intuere,siue ad populum verba facientes de sublimiore Ecclesiastas loco, millia reperies auditorum, nobilique ingentique semper coronâ doctorem suum cinctum:siue altaria fecundo Dominico corpore grauida, cælestique, vt ita dicam, igne fumantia; omni omnino die, Domino aut Diuorum cuicumque sacro,millia videbis cælesti potentique pastos epulo. De quo audet Chrysostomus: *Tamquam leones ignem spirantes ab illâ mensâ recedamus, facti diabolo terribiles, & caput nostrum mente reuoluentes,& caritatem quam nobis exhibuit. Nam parentes quidem aliis sæpè filios tradunt alendos; ego autem, inquit, non ita, sed carnibus meis alo, & meipsum vobis appono; vos omnes generosos esse volens, & bonas vobis prætendens de futuris exspectationes: quippe qui vobis hîc meipsum trado,multo magis in futuro. Volui frater esse vester, carnem propter vos & sanguinem assumpsi: vobis vicissim ipsam carnem & sanguinem, per qua cognatus vester factus sum, trado.* Magna dignatio! & alibi:

Homil. 61.ad pop. Antioch.

alibi: *Cogita quali ſis inſignitus honore, quali men-ſâ fruaris. quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde ſplendorem; hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus Chriſti corpus, & vna caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis paſtor oues proprio paſcit cruore? Et quid dico paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.* Felix coadunatio! digna Deo potatio, cibatio! *Homil. 60. ad pop. Antioch.*

Quòd ſi ad Pietatis reliqua oculos circumtuleris, ſpirantia ſingula ac redolentia Deum reperies. ipſaque adeò Templa, ad inuidiam & exemplum gentium omnium, nobiliſſimis orbe toto picturis variegata, omnique ornatus genere diuite opulentata voto, quid aliud quàm inhabitantem Deum teſtantur, animoſque ſalutis, Summique Numinis ſitientiſſimos; tamquam in præteritæ obliuionis & torporis anathema; tamquam in futuri temporis teſtatiſſimam fiduciam, ſpemque nuſquam fruſtrandam? Mactianimis. viuite felices tantâ ſolidę Pietatis prærogatiuâ orbi noſcibiles: Nulla hanc lingua, nullus tenebrabit calamus. erumpant licet nocituræ viperæ, inſidientur calcaneo noxiis venenis, Pietas vna eſt, quæ detenebrabit diſcuſſâ quacumque nebulâ diem; quæ

cuenenabit omnem venenantis linguæ ſibilum. Secura iam, quia innixa dilecto ſuo, ſponſa ſponſo: à cuius labris medicamina, tamquam à lacteo puer vbere, ſugat in medelam; à cuius pectore, tamquam à perennaturo fonte, ſitim reſtinguat in labantium laterum roboramentum; à cuius diſciplinatu, prudentiam hauriat in ſecretionem boni à malo, falſi à vero, doloſi à ſincero, ac in omnis improbitatis fugam, omnis ſanctimoniæ ſequelam. ita voueo. eueniant hæc tantùm ſecundo Numine. addatque ad reliqua beneficentiæ ſuæ Deus, vt quicumque Antuerpiam vidit antè infidâ nauigantem naui, excuſſo clauo, diſſciſſis rudentibus, diſiectâ puppi, colliſâ prorâ, ſciſſo velo, retorto malo, deraſis lateribus, totaque Neptunum aluo admittentem, laxiſque quaquà compagibus inimicum imbrem accipientem, ventorum & fluctuum ludibrium; nunc videat æratâ prorâ puppíque ſulcantem maria; foris, tranſtris, pluteiſque & tabulato validè firmato; durisque coſtis tamquam è chalybe procuſis, ridentibus ſæuientis elementi minas: inde gubernacula tamquam ætneis cuſa fornacibus: hinc ſuppara velorum, carbaſeoſque ſinus, ſuperbo ludentes vertice: pronam denique felicia petentem maria, apertoque ſecundoque decurrentem pelago, dominumque diuite beatem portu. Ita faciat facilis ad vota Deus, Diuaque Dei mater: quæ in hoc ingenti laudum

dum oceano, ignarum loci,

Ignarumq; viæ, noſtros miſerata labores,

piis iam olim ſuorum precibus aſſueta vocari, ad optatum deduxit portum. cui ego, cui vos omnes,

MATRI OPTIMÆ,
PATRONÆ POTENTISSIMÆ
DOMINÆ BENIGNISSIMÆ,
REGINÆ MVNIFICENTISSIMÆ,

quid referetis? aut quem in Vrbe hac veſtrâ locum ſtatuetis?

PRIMVM, SVMMVM, AVGVSTISSIMVM.

adeoque

In medio mihi DIVA *locum templumq; tenebit.*
Illi ego detonſæ foliis ornatus oliuæ
Dona feram. iam nunc ſolemneis ducere pompas

ad delubrum illius iuuat: cuius

In foribus pugnam ex auro ſolidoq; elephanto
Liranam faciam, victorumq; arma Quiritum:
Et ſimul undantem bello, magnumq; fluentem
Scaldim, ac nauali ſurgentes ære columnas.
Mœnibus his addam Gallum pulſumq; Batauum:
Atque hinc rapta manu diuerſo ex hoſte tropæa,
Biſq; triumphatas vario de littore gentes.
——Feſtoſq; dies de nomine ponam

Victricis noſtræ: cuius poſt Deum fortunatiſſimis auſpiciis, quidquid in vrbe hac magnum, ſtetit; ſtabitque æternùm. Ita voueo, & finio

peren-

perennaturo Belgico & Aduatico monumento,

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

BELGIVM orbis ANNVLVS,
ANNVLIQVE huius GEMMA
ANTVERPIA.

BELGIVM orbis OCVLVS,
OCVLIQVE huius PVPVLA
ANTVERPIA.

BELGIVM orbis NEMVS,
NEMORISQ. huius LAVRVS
ANTVERPIA.

BELGIVM orbis PARADISVS,
PARADISIQ. huius DELICIAE
ANTVERPIA.

BELGIVM orbis CAELVM,
CAELIQ. huius SOL
ANTVERPIA.

O sal-

O ſalue amica Tellus; vrbium VRBS, DOMINA, REGINA. Te Medus, Te vterque Indus, Afer, Nabathæus, Arabs; Te primi ſideribus, terris vltimi; Te Moſchus, Perſa, Tartarus; Te potens Mogor; Te latè Ottomannus imperans; Te quidquid vbique eſt, Britannus, Iber, Gallus, Italuſque,

Compoſitis venerantur armis.

O ſit in ęternâ veneratio PACE! vt pulſis inanibus diffidentiæ flabris, fidâ veterique Belgicâ fruamur malaciâ. Nimis, ah, nimiùm conſanguineo innatauimus ſanguini, ęmulorum ludus Imperiorum. ô quoties illa nos refugo labilique veſtigio, Tantalicoque, fugitiuo luſit attactu? Olim ille

Ter conatus erat collo dare brachia circum;
Ter fruſtrà comprenſa manus effugit imago,
Par leuibus ventis, volucriq; ſimillima ſomno.

at nos tot annis quoties fruſtrati ſumus? Veniſti tandem ô ſperata SALVS. atque ô toto ſi veniſſes corpore! quid dimidias beatitatem? cur ſolam porrigis dexteram, amplexus negas? necdúmne cruoris fuſum ſatis, agris atquè Neptuno ſuper?

Quis non Batauo ſanguine pinguior
Campus ſepulcris impia prælia
Teſtatur, auditumq; Regnis
Belgicæ ſonitum ruinæ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Batauæ

Non decolorauere cædes?

Quæ caret ora cruore noſtro?

Satis, ô ſatis aduerſariarum partium reſtinximus ſitim, ſi ſatiari ſitis ſanguine potuit. Quòd ſi nec-dum æmula exſatiata libido eſt, mutuò aliquando experiantur, quantum animis ferroque valeant: nec in alieno iugulo vires oſtentent ſuas. Nimis in hoc Belgico pectore quadraginta ſolidis amphi-theatratum eſt annis. ſuccedant aſperis molliora, tempus monet; & alias inambulet ferrum cædeſ-que terras, ſi incruentus non poteſt hic orbis ſtare. Nos interim tot annorum hianti vulneri cicatri-cem obducamus. quamquicumque crudelis & imperitus reſerauerit chirurgus, næ ille hoſtis Pa-triæ æternùm audiat. Nam quid reliquum cru-delitas fecit, niſi fortè vt ex inimicorum voto, ſuâ Belgium & *Vrbs hæc periret dexterâ*. Auerte infau-ſtas diri ominis imprecationes qui potes

DEVS,

MISERATOR DEVS,

BENIGNE DEVS.

& diuiſa hæc (ô tandem!) iunge æterno nexu.

ANNVE MAGNE DEVS.

ET *heu! labantes iam nimiùm diu*
Vires iacenti ſuffice BELGICÆ,
Paciſq́ disruptæ lacertos
Marmoreis ſocia catenis.
Obtuſa noſtris tela cruoribus
Nondum expiatis tabida cædibus
Auerte in immanes Gelonos,
In Scythicas, Arabáſ-ve turmas.
Diffinge mitis lugubre Noricâ
Incude ferrum: diffluat æneus
Eruginantis horror ævi,
Mollicie melioris auri.
Dictator audi Maxime Cælitum,
Mundiq́ præſes, ô DEVS! *ô tuæ*
Tutelæ BELGICÆ *fidelis,*
Anchoraq́ auxiliiq́ pignus.
Jam longa fluxit temporis orbita
Patrum Beatæ neſcia Copiæ,
Notata, prô dolor! pudendi
Stigmatibus facibuſq́ belli.
Antiquæ narrant ſæculæ poſteris
Aui trementes; & pariter ſtupet
Ignota, iam fermè ſeniles
Poſteritas aditura rugas.
Neſcit, quod ævum, quæ pia tempora,
Sibi parentum canities ferat;
Cruore ciuili madentes
Semper agros rubuiſſe credens.

Neſcit, quid almæ dulcia fœdera
Tulère Pacis; priſca quid otia
Dedêre Sæclo; quid beatæ,
Sanguineo ſine Marte, luces.
Heu Clara quondam Belgica! Belgica
Sæclis Auorum! Quò decus hoc tuum
Ploranda fluxit, vt iacentes
Vix oculos tua turba norit?
Deuota mœſti ſanguinis indoles!
Semper paterno deterior gradu!
Quot, heu! virorum buſta, ſtrages,
Funera quot tulimus! quot enſes!
ANTVERPA *prodi, ô decus vrbium!*
Sententiarum flebilium memor:
ANTVERPA, *dic, peplo nigrantem*
Mœſtifico redimita frontem:
Scaldim gementi vidimus æquore
Claſsis vehentem luctiferæ rates;
Enſeſq; thoracaſq; & haſtas
Sanguineis natitare lymphis.
Sed quid recenti prælia murmure
Bellata canto? ſpirat adhuc furor,
Tepentq; ſtagnanti cruore
Purpurei, prope littus, agri.
Lallis puellæ ſomniferis canunt
Iam nota puſis prælia bimulis,
Ciuemq; muris proruentem,
Armaq; magnanimaſq; turmas.

Canit

Canit ꝟiator laſſus, amabili
Fuſus ſub ꝟmbrâ: Nautaq́ torpidus
Tranſtro recumbens; cantat, aptans
Aequoreus populator hamos.
O mœſta diræ munera gloriæ!
O Belgica! ô trux Belgica! tot malis
Ditata cladium exterarum
Totq́ ꝟirûm celebrata buſtis!
Quocumque ꝟertor: Funera, funera,
Dücumq́ cerno ſtrata cadauera;
Et æſtuantes turbulentâ
Sanguinis eluuie plateas.
Aduerte mites, ô DEVS! *ô* PATER!
Huc, teſtor, aures; & miſeris modum
Tandem ruinis pone clemens,
Et facie meliore fulge.
Iam ſat, cruentâ fulmina dexterâ,
O ſat, ꝟibraſti! templaq́ Candidæ
PACIS, *reluctanteſq́ habenas*
Horriſono iaculatus igne.
Exoſa tandem prælia matribus
Sagumq́ dirâ lugubre Purpurâ
Togæ perennantis nitore
Et ꝟiridi benè ꝟerte palmâ.
Audi ꝟocantes, OPTIME, MAXIME;
Ceſſet flagellis dextra rubentibus;
Iam Belgicus ſat arſit orbis,
Iuſtitiâ iaculante flammas:

Caliginoſis nubibus emicat
Aurora Pacis, aura fauentior
Inducіarum, nube pulsâ
Da ſtabilem nitidumq́ ſolem.
Audi vocantes; Pax iterùm Redux
Nectens catenis vincla adamantinis,
Pax fida, Pax æterna, firmet
Indociles animos teneri.
Et redde Pacem; redde vocantibus
Secura Belgis Otia; Fœdera
Æterna redde : ſat parentum
Crimina poſteritas piauit.
Exulceratæ vulnera Belgicæ
Tegat cicatrix, nullaq́ Gratiam
Diffindat ira, nulla clauſum
Lis valeat reſerare Ianum.
Olim rebelles, ô pudor! ô probrum!
Fraterna Belgæ prælia geſsimus:
Quamquam ô! ſed obductam paueſco
Vngue malo refricare plagam.
Quæ credet ætas arboris vnius
Pugnaſſe ramos? Matris & vnius
Euiſceratæ membra tabo
Sacrilegos maculaſſe natos?
Numquam gemelli dentibus aſperis
Luctantur apri; nec catuli lupæ
Turgente pendentes ab aluo
Vbera vulneribus cruentant:

Cadmæa

Cadmæa fratrum progenies, agris
Belgæ paternis, vulnere mutuo,
Immane! proſtrati iacebunt,
Auſi iterùm renouare Thebas?
Belgæ furentes Oedipodis face
Materna diris ilia morſibus,
Heu! lancinabunt? ſtabit enſis
In patriæ iugulo cruentus?
Quæ dira Belgas, quæ furialibus
Flammis Enyo præcipites agit?
Tot inclyti, inuictiq; Belgæ
Indecores pereant duello?
Tot BALDVINI *puluere patrio,*
Tot GOTTEFREDI *turpiter occidant,*
Dum rixa ciuileis pudendo
Fulmine deglomerat procellas?
O ſtenda virtus! ſi ſibi diſcrepat
Ingens poteſtas; ſi ſtomacho caput,
Si faucibus pedes rebellant,
Roma tuis moriere cunis.
Fruſtrà laborat rumpere viribus
Implexa vinctis ſpicula ſpiculis
Heres Sciluri; diſſipatas
Marte leui minuet ſagittas.
Res parua creſcit, ſi ſociabili
Subit catenam fœdere; pertinax
Teſtudo, ſcutis ſcuta denſans,
Depluit imbricibus molares.

Digitized by Google

Inſanientem fluctibus Adriam
Compacta videt teda celocibus:
Vis magna nullo iuncta nodo
Pondere ſub proprio fatiſcit;
Sic vinculi expers mole ruet ſuâ,
Suiſq; ſidet Belgica viribus:
O illa formidata quondam
Solimanis, pauidoq; Turcæ.
O illa quondam Belgica, barbaris,
BOVLLONE PRINCEPS, *te duce, matribus*
Abominata, te ſuperbas
In Solymis referente palmas.
O illa rurſum ſcilicet omnibus
Timenda regnis, ſi melior DEVS
AMORE *manſuram* FIDELI
Annueret ſociare PACEM.
Collecta quid non efficiet manus?
Conſentientis COPVLA BELGICÆ
Terrebit orbem, fœderatos
Diſcet Arabs Tanaíſque Belgas.
Diſcétque tandem perfidus Ottoman
Immanis, exlex, & fidei & Dei
Iuratus hoſtis, quanta Belgis
Marte ſacro benè nexa virtus.
Vna eſt futuræ pignus adoreæ
OSTENDA *Flandris Troia, tot Hectorum*
Tot Neſtorum commune buſtum,
Scylla viris, opibus Charybdis.

Oſten-

Digitized by Google

Oſtenda belli meta Batauici,
Tu ſola nummos, robora, machinas
Belgáſque concordes domandis
Sufficeres Aſiæ tyrannis.
Ite, ite Belgæ; iungite dexteras,
Vires, Virósque iungite, ſupplices
Oſtentat Idumæa palmas,
Magne redi GODEFRIDE, *clamans.*
Heu! terra CHRISTI *ſanguine perlita,*
Nati, renati conſcia numinis,
Subacta, collo fert ſuperbos
Impoſitis pedibus tyrannos.
Captiua CRVX *eſt quæ pretium ded..*
Orbis redempti; preſſa iugo graui
IVDÆA LIBERTATIS ARA
Barbaricas patitur catenas.
Hæc digna Belgis gloria, Belgica
Si digna magnis Poſteritas auis,
Vt vincla, Caudimáſque furcas
Solimano domito reponant.
ANVERSA *quantos tunc daret hoſtium*
Victrix aceruos, ſtragibus aggerans
Campos rubentes, LIBERATÆ
Prima ferens titulum IVDÆÆ?
ANVERSA *Belgis celſior omnibus,*
Iurata quondam VINCERE VEL MORI,
Heroas inſcripſit ſacrato
Prima Crucem titulans maniplo.

ANVER-

Digitized by Google

ANVERSA *opimis tunc ſpoliis Ducum*
Diues, trophæi marmora Gallici
Oblita, Liranamq́ quercum,
MAGNE DEVS! *foribus dicaret*
In MARIANIS, *arma cadentibus*
Erepta Turcis, Loraq́ curruum
Arcuſq́, Peltaſq́ AEVITERNÆ
Digna DEO *monumenta* PACIS.

ERRATA.

Pag. 23.	*lin.* 9.	auſaque	*lege* auſuſque	56.	1. & *alibi*	Anthleæ	Antliæ
34.	21.	marem	matrem	59.	1.	ſalientes	ſalientem
36.	12.	Xeuxis	Zeuxis	67.	14.	Pihium	Pighium.
49.	1.	ſuperet	ſaperet	77.	11.	at	ac

Digitized by Google